ADVOCATUS, SIVE DE QUALITATIBUS ET OFFICIO BONI ADVOCATI: RELECTIO L. ADVOCATI. 14. C…

Bartholomaeus Agricola

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
20 C
8

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

20

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ADVOCATVS,

SIVE

DE QUALITATIBUS ET OFFICIO BONI ADVOCATI:

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

RELECTIO

L. Advocati. 14. C. de advocat. diverſ. Iudic.

AUTORE

BARPTOLOMAEO AGRICOLA

Baucomio J.U.D.

BIBL.S.J. COL.ROM.SOC.IESV

NEAPOLI NEMETUM

Excudebat HENRICVS STARCKIVS,

IMPENSIS IOHANN. CAROLI VNCKELII,

Librarij Francofurtenſis.

ANNO M. DC. XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO OMNI LITTERARUM GENERE POLITISSIMO DOMINO IVLIO-GVILIELMO Zinckgravio SS. Legum Candidato, S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NOn deerunt fortaſſis, Iuli-Guilielme, qui me dicent falcem meam in alienam meſſem immittere, qui de qualitatibus & officio boni Advocati ſcribam, quo Advocato vel cauſarum Patrono ipſi quidem hactenus nec bono nec malo uſi ſint; quippe quod ex profeſſo advocationis munere hucuſque defunctus non ſim, ſed judicis potius partes in provincia mihi demandata ſuſtinuerim: Sed deſinent, puto, mirari, & excuſatam habebunt hanc ſcriptionem, ſi cauſas inſtituti mei perceperint. Annus agitur decimus tertius, ex quo in Illuſtri veſtra Academia Palatina ſummos in utroque Iure honores, & privilegia, quæ vocantur, doctoralia, (Promotore quidem Nobiliſſimo viro Domino Dionyſio Gotofredo, omnium huius eruditiſſimi ſæculi Iuriſconſultorum

)(2 facilè

Digitized by Google

facilè principe: Ipſi vero autoritatem & poteſtatem concedente viro clariſſimo & conſultiſſimo Domino Daniele Nebelio, tum Academiæ procăcellario & Decano, quorũ apud me memoria & reverentia nunquam intermorietur) ſum conſecutus. Ex eo ſtatim tempore, hortatu cumprimis & ductu parentis tui fœlicis memoriæ, viri clariſſimi & conſultiſſimi Domini Laurentij Zinckgravii SS. LL. Licentiati & Conſiliarii Archipalatini fideliſſimi, cum theoria ſcholaſtica praxin coniungere cœpi. Hoc vero in ſtudio ante omnia inquirendum & perpendendum putavi, quidnam eſſet in poſterum mei officii, & quid advocatia ſive munus advocati in me advocato iuvene & huius ſtudii practici tyrone requireret, quibuſque qualitatibus & requiſitis adiutus cum fructu clientibus adeſſe, atque eorum cauſas in foro ita agere poſſem, ut illęſa conſcientia, & ſalvo in promotione mea pręſtito iuramento, coram Deo ſummo iudice; apud homines vero fama integra & bona exiſtimatione perfruiſci quirem. Et vero tum temporis mens & calamus concepit ea, quę hîc vides. Verum enim vero cum ante octennium ab Illuſtriſſimo & potentiſſimo Principe ac Domi-

Domino, Domino Friderico IV. Comite Palatino ad Rhenum, &c. Sacri Rom. Imp. Archidapifero & Electore &c. Duce Bavariæ &c. Sereniſſimæ & feliciſſimæ memoriæ &c. Provincię huic noſtrę Baucomianæ præpoſitus judicis exinde partes ferè obiverim, obſervavi ſæpius, quam turpiter & graviter hactenus à quibuſdam rabulis forenſibus & pſeudo-advocatis hac in parte peccatum & erratum ſit, & hinc factum eſt, ut cum viris conſultiſſimis, qui Boni advocati munere & officio ſincerè & cum laude hactenus defuncti ſunt, nō rarò hac ipſa de re ſermo mihi fuerit, qui etiam autores mihi fuere, ut præſentes haſce meas de qualitatibus boni advocati conceptas cogitationes atq; meditationes cum ſtudioſa iuventute, & iis præcipue, qui praxi initiarentur, communicarem, hac utentes cumprimis ratione, & ut noſtri vocant, motivà, quod, cum tyro hæc tyrocinia ſcripſerim, facilè apud Iuris antiſtites, & iuſtitiæ ſacroſanctæ ſacerdotes ſummos, cumprimis verò clariſſimos Germaniæ noſtræ advocatos veniam impetraturus fiem, ſi hæc ipſa advocatię tyronibus donarem, quę in officio mihi demandato non inutilia nec infructuoſa ſępius expertus eſſem.

Digitized by Google

Moveri igitur hiſce me paſſus ſum, & ut in publicũ prodirent, aſſenſum præbui. Tibi verò, Iuli-Guilielme, inſcribere & offerre volui, quod ſuaſu cumprimis & quaſi ductu clariſſimi quondam parentis tui (apud quem, velut noſti, initia praxeos & tyrocinia mea feci) hæc ſcripta ſint, & ut aliquo modo me adverſum Manes defuncti olim patroni colendiſſimi gratum & beneficiorum memorem oſtenderẽ, ſi eius memoriam in te filio (in quo ipſum defunctũ tuum parentem iam mihi revixiſſe planè perſuadeo) recolerem & quaſi poſtliminio reducerẽ, atq; tandem, quod exiſtimarim tibi hæc tyrocinia non uſque adeò diſplicitura eſſe, cum & ipſe iam practicæ Iuriſprudentiæ primitias offerre inceperis. Accipe igitur hæc, Iuli amantiſſime, eo animo, quo à me tibi offeruntur, & vale atq; vive, ut hactenus, meus. Dabantur Oppenheimii è Muſæo meo: feſtinante calamo, Calend. Octob. Anno 1617.

Tuus

Bartholomæus Agricola D. Oppenheimÿ Propræfectus.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM HVIVS LIBRI.

PRafatio commendationem oſtendens advocationis.
Cap.1. De origine & antiquitate advocationis agit.
Cap.2. De dignitate hujus muneris. Vbi de Claritate virorum hoc advocationis officio defunctorum.
Cap.3. De Laudibus & Encomijs, quibus priſci Imperatores advocatum commendant.
Cap.4. De vtilitate atque neceſſitate advocationis.
Cap.5. Argumenta continet & rationes, quæ in vituperium advocationis ab alijs paſſim afferri ſolent.
Cap.6. Tertium & quartum argumentum adverſus advocationis laudem proferri ſolitum.
Cap.7. Reſponſionem habet ſeu refutationem argumentorũ modo allatorũ.
Cap.8. Etymologiam atq; definitionem advocationis oſtendit.
Cap.9. Differentias duas ponit inter advocatum & procuratorem.
Cap.10. Tertiam differentiam habet inter advocatum & procuratorem.
Cap.11. Quæſtionem tractat de juramento calumniæ, an ſcilicet conſultum ſit, vt & advocati illud in ſingulis cauſis præſtare cogantur?
Cap.12. Alias habet differentias inter advocatum & procuratorem.
Cap.13. Qui poſſint eſſe advocati, qui non? vbi prohibitionis triplex membrum refertur: Edicti: Legis: Sententiæ: & hîc de edicto prohibitis agitur.
Cap.14. De Lege prohibitis poſtulare.
Cap.15. Sententia judicis quos ab advocando remoueat?
Cap.16. Tranſitum habet ad requiſita vel qualitates advocati, quæ in genere notantur.
Cap.17. De 1. qualitate in advocato requiſita agit, natalibus ſcilic. legitimis.
Cap.18. De 2. qualitate, ſcilicet ingenio.
Cap.19. De memoria, tertio requiſito.
Cap.20. De 4. qualitate, quæ eſt fama bona, & illæſa exiſtimatio.

De

Digitized by Google

Cap.21. *De 5.qualitate,pietate ſc.& veræ ſeu ſinceræ religionis cultu.*
Cap.22. *De 6.qualitate,humanitate advocati.*
Cap.23. *De 7.qualitate, ſcilicet moderatione, quæ conſiſtit in temperantia victus: Modeſtia amictus: æquitate exigendi ſalarij: & animo moderato & ſedato circa præſtandum patrocinium.*
Cap.24. *De 8 qualitate, advocati fidelitate.*
Cap.25. *De 9.qualitate, quæ vult, ut advocatus ſit* ἐναίσιμος, ἀληθινὸς, *veridicus, amans & ſtudioſus veritatis, &* ἀψευδὴς, *non dicens vel proferens mendacium.*
Cap.26. *De 10.qualitate, ætate nimirum advocati.*
Cap.27. *De 11. qualitate, quæ requirit, ut advocatus ſit artibus & diſciplinis liberalibus inſtructus, maximè verò juris vtriuſq;, & conſuetudinum locorum cognitione & ſcientia conſpicuus & excellens.*
Cap.28. *De 12.qualitate advocati, quæ eſt facundia, eloquentia, & linguæ atque calami promptitudo.*
Cap.29. *De 13.qualitate, multarum ſcilicet rerum uſu & experientia.*
Cap.30. *De ipſo advocati officio agit, quod tribus hiſce partibus abſolvitur, 1.in deliberatione practici ſuſcipiendarum vel non ſuſcipiendarum cauſarum. 2. In cauſarum ſuſceptarum legitima & vera cognitione.3.In modo procedendi, vbi quid in ſingulis advocato faciendum ordine oſtenditur.*
Cap.31. *Concluſionem habet & epilogum operis.*

TEXTVS

TEXTVS L. Aduocati, 14. C. de Aduocat. diuerſ. iudic.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN.

IMPP. LEO ET ANTHEMIVS A.A. CALLICRATI P.P. ILLYRICI.

ADVOCATI, *qui dirimunt ambigua fata cauſarum, ſuaq́ defenſionis viribus in rebus ſæpè publicis ac priuatis lapſa erigunt, fatigata reſtaurant, non minus prouident humano generi, quam ſi præliis atq́ vulneribus patriam parentesq́ ſaluarent. Nec enim ſolos noſtro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis & thoracibus vtuntur; ſed & aduocatos. Militant namq́ cauſarum patroni, qui glorioſæ vocis munimine laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt. Dat. 5. Kal. Apr. Conſtantinop. Zenone & Martiano Coſſ. 469.*

RELECTIO.

Præfatio: Commendationem oſtendens aduocationis.

EXPLICATVRVS nobiliſſimam hanc, & omnibus togatis, præſertim verò aduocatis cauſarúmve patronis albo lapillo notandam, *l. aduocati, 14. C. de aduocat. diuerſ. iudic.* deq́; officio & requiſitis qualitati-

 bus

quotiens dubium eſt, cui quid ſit attribuendum, debet in dubio attribui vetuſtiori, tanquam digniori. Iohannes Faber *in §. 1. colum. 4. verſic. praterea, Inſtitut. de actionib.* & Alberic. *in l. ſecunda, §. deinde, ff. de origine iuris*, dicit, in dubio actum quemlibet denominari debere à vetuſtiori, *per l in finalibus, ff. fin. regund §. ſingulorum, Inſtitut. de rerum diuiſ.* Quod ipſum & in feudis cauſisque feudalibus decidendis ſanctè ſemper obſeruamus, in quibus ad vetuſtiores & primas, ſi haberi poſſunt, inueſtituras recurrimus, & ex tenore earum iudicium deſumimus, Iohan. Fichard. *conſil. 10. num. 1. tom. 2.* Henric à Roſenthal *de feud. cap. 6. concluſ. 69. in gloſſ. R poſt plures ibid citatos*, cuius quidem rationem Matthęus de Afflictis *deciſ. 195.* hanc reddit, quod vetuſtior ſeu prima inueſtitura omnium ſit potiſſima, ideoque cæteris præferenda. Et apertius Dominus meus Herm. Vult. *lib. 1. feud. cap. 7. num. 105.* quod prima inueſtitura radix ſit & fundamentum omniũ ſubſequentium, cui adſtipulatur Franciſc. Curt. Iun. *conſ. 108. nu. 18.* Sic hæc quidem adeò vera ſunt, vt ne tum quidem *à* verbis illis inueſtituræ vetuſtioris atque antiquioris recedere liceat, quando vel illa poſterioribus atq; iunioribus inueſtituris aliquo modo contraria, vel etiam *à* iure vel conſuetudine feudorum communi diſcrepant, Fich *d. loco.* Sed an vaſallus ipſe domino antiquiori contra iuniorem obligatur ex antiquitatis prærogatiua, de quo Roſenthal. *cap. 8. concl. 14. nu. 9.* ſic & temporis antiquitas feudum antiquũ eſſe arguit, & pro agnatis militat, late Roſenthal. *cap. 2. concl 27.* vt & pars feudi antiqua totum præſumit antiquum, Roſenthal. *cap. 2 concluſ. 30. numero 2.* Iacob. Menoch. *de arbitr. iudic. quæſt. conſil. 191. numero 5.* Et verò antiquitatis huius priuilegium haud poſtremum, & notatu dignum, hoc eſt, quod in factis antiquis, hominum memoriam excedentibus, ipſa antiquitas per ſe ſemiplena eſt probatio. Iohannes Sichardus *in l. ex his verbis, 7. numero 12. Cod. de teſtament. milit.* Et iuncta

Calcanei & Iaſonis, ſufficere adminicularem & præſumptiuam probationem, quod conſulendo ſequuntur Socinus ſen. Corneus, Paul. de Caſtro, Alexand. & Pariſ. quos citat Dn. Vulteius *d. conſ. 16. nu. 52.* adde Matth. de Afflict. *deciſ. 13. nu. 64.* & Menoch. *de arbitr. iud quæſt. conſ. 115 in princ.* Sixtin. *d. conſ. 11. nu. 27 poſt Corol.* Ruin. *conſ 92. nu 9. lib. 1.* Dec. *conſ. 104. nu 23.* Mandel. *conſ 83. nu. 5.* adde Maſcard. *de probat. vol. 1. concl. 106. & vol. 1. concl. 107.* Sic & antiquior poſſeſſio ſine titulo, præfertur poſſeſſioni cum titulo recentiori, de quo Meichſner. *deciſ. Cam. 7. num. 16. tom. 4.* Et quod antiquitati ſtandum ſit in paſcuis, aquis, molendinis, pontibus, & aquarum commoditatibus, tradit Franciſc. Marc. *deciſ. delph. 561. nu. 6. part 1.* Et ex antiquitate præſumptionem naſci, omnia eſſe ſolenniter acta, notat Deci. *conſ 199. nu. 5. & conſ. 222. nu. 6. & conſ. 375. num. 3.* Socin. ſen. *conſ. 16. vol. 1.* Alex *conſ 79. vol. 1. & conſ. 45. vol. 3.* Curt. ſen. *conſ. 377. col. 2.* Curt. iun. *conſ. 76.* Pariſ. *conſ. 104. nu. 45. vol. 1.* Roland. à Valle *conſ. 99. nu. 24. vol. 2.* Mant. *conſ 38. nu. 34. vol 1.* Matth. de Afflict. *deciſ. 305. nu. 13.* Dn. Vult. *d. conſ. 16. nu. 58.* Maſcard. *de probat. vol 1. concl. 108.* quod tamen vnico illo in caſu fallit, quando ſcilicet vere probatur contrarium; puta ſi ex productione inſtrumenti de antiquo, vere appareat minus ſolenniter quid eſſe actum. Crauet. *conſ. 134. num. 44.* vbi omnino vide. Vnde & auctoritatem ſuperioris requiſitam præſumi interueniſſe ex diuturnitate temporis, Iuris pontificij profeſſores nos docuerunt *in c. illud de præſump. & cap. requiſiſti, de teſta.* quos communis legiſtarum ſchola ſequuta eſt, teſte Maſcar. *de probat. vol. 1. concl. 154. n. 1.* vbi tamen *ſub nu. 2.* veram iſtam concluſionem eſſe dicit, quando vltra diuturnitatem temporum accedit & concurrit ſcientia & patientia eius, cuius requireretur conſenſus, per tradita ab Alex. & Crauetta *ibid.* citatorum. Et quod caput rei eſt. antiquitatem temporis pro lege eſſe, Vlpianus reſpondet *in l. 1. §. deniq; att, 23. ff. de aqua pluuia arcend.* quod & Paulus re-

 petit

Digitized by Google

petit *in l.in ſumma, in prin ff. eod. tit.* Crauet. *conſ.170.nu.7.* Schurff. *conſ.90.n.2.cent.3.* verùm hoc loco extra controuerſiam non eſt, quantum ſcilicet tempus requiratur, vt factum antiquum dici poſſit & debeat? de hoc opiniones variæ ſunt. Prima eſt Ant. de Butrio. *in d.c. veniens, extra de teſtib.* qui dicit, quod ad hoc requirantur & ſufficiant anni 40. quam ſententiam amplexi quoque ſunt Alexander in hoc ſibi contrarius, *in conſ.4.num.12.vol.2.& conſ.90.num.8.vol.6.* Bertrand. pariter ſibi contrarius, *conſ.260.nu.8.& conſ.15.num.19.* quos citat Farinac. *de indic. & tort. quæſt.47.nu.113.* ſed hæc opinio communiter reprobatur, veluti teſtatur Iohan. Sichard. *in l.ex his verbis, 7.num.13. C. de teſtamen. milit.* vbi tamen in multis caſibus æquum eſſe profitetur, Imola *in d.cap. veniens,* & Iaſon *in l.cum [illegible]quis, C. de iure deliber.* qui requirunt tempus vltra memoriale, hoc eſt, tempus centum annorum. Et hãc ſententiam ſecuti ſunt Alexand. Cagnol. Dec. Hipp. de Marſ. Socin. Duenn. Villalob. Ripa, Hieron. de Monte, Rimin. Natta, Oſaſcus, Graſs. Soarez, Purpurat, Crauet, Petraſant. Gram. Burſat. Bertrand. Ceph. Menoch. Capiuaq. quos omnes citat Farin. *d. quæſt.47.nu.112.* vbi omnino vide, & huc videtur etiam inclinare Surdus *deciſ. Mantua.103.nu.11.lib.1.* dum ait; quod licet ſpacium temporis ſexaginta annorum non faciat rem dici proprie antiquam; tamen plurimum poſſe in eo arbitrium iudicis, accedit Ioh. Coraſ. meus *in d. l. admonendi, n.84. ff. de iureiur.* poſt Innoc. & Felin. *in d.c. veniens, de teſtib.* Alij tempus antiquum eſſe ſeptuaginta annorum dixerunt, e quorum numero eſt Aret. *in conſ.36.n.6.* Soc. *conſ.89.nu.7.vol.1.* Iaſ. *conſ.114.vol.1.* Syluan *conſ.57.n.11.* Alban. *conſ.83.n.10.* Farin. *d. loco, nu.114.* Alij 30. alij 60. alij 50. alij 90. annos requirunt; alij iudicis relinquunt arbitrio, de quibus vide Far. *d. quæſt.47.n.115.& ſeqq. & Men. de arb. iud. quæſt. conſ.3.* vbi ſeptem opiniones refert, quas ibi vide, adde eundem Menoch. *conſil.4.& 5.* in quibus de antiquitate temporis recte computanda

Digitized by Google

putanda multa ſingularia & notatu digna ſcribit, adde Iohann. Meichſner. *deciſ. Cam. 4. n. 84. & ſeqq. lib. 2. tom. 2.* & confer Mynſing. *obſ 79 cent 5.* vbi dicit in Camera hoc relinqui arbitrio iudicis, Vulteius *d conſ 16. nu. 51.* vide tamen inter varias iſtas opiniones diſtinguentem, & inter ſe eas conciliantem Farin. *d quaſt. 47. n. 117. & ſeqq.* pulchre Maſc. *de probation. vol. 1. concluſ. 103* Sane Germanicum noſtrum, Von Alters/hoc eſt, ab antiquo, ad minimum de 40. vel 50. annis accipiendum docet Meichſner. *d. deciſ. 4. n. 85. lib. 2. tom. 2.* Non tamen ignorandum, ſed notandum etiã hoc eſt, antiquitatem non tollere peccatum, ſed aggrauare etiam grauiuſque illud reddere. Namque peccatum quò eſt antiquius, eò & grauius eſſe ſolet, *c. non debet, in fin. de conſang & affinit.* Crauet. *conſ. 146. nu. 4 & conſ. 314. nu. 5.* vbi de conſuetudine loquitur nutritiua peccati, quam nullo tempore, ne antiquiſſimo quidem, iuuari aut confirmari dicit, *per c. cum tanto, de conſuetud. cap. 1. de conſuetud. in 6.* quia lapſus temporis legem iniuſtam non validat, gloſſ. *in c. inter cætera, 16 quæſt. 3.* vide omnino Crauet. *d. n. 5.* vbi late hoc exemplificat.

CAPVT I.

De origine & antiquitate aduocationis.

VNDE, vt ad propoſitum accedamus propius, de antiquitate & origine aduocati aduocationiſve vt diceremus ante omnia viſum eſt; cum & eius laus ſumma, vt audiuimus, ſit; & Iuſtinianus inſuper de ſeipſo ipſus ſcribit, contemptorem antiquitatis ſeſe non eſſe, *l. 22. §. 13. C. de iur. del.* Et Spartianus Adrianum Imperatorem mirum ac pene ſuperſtitioſum vetuſtatis cultorem fuiſſe refert, *Spartianus in Adriano.*

Originem autem aduocationis noſtræ vel ab antiquiſſimis

mis temporibus, & ipſo inde mundi initio repetere atq; deducere haud fuerit abſurdum. Quandoquidem ex ſacris paginis diſcimus, protinus *à* iacto mundi fundamento & prima rerum exiſtentia huiuſcemodi aduocationes defenſionéſve cæpiſſe, inque vſu & exercitio hominum paſſim fuiſſe. fac. notata *à* Speculat. in proœm. ſpec. ſui, vbi docet, ordinem iudiciarium in Paradyſo cæpiſſe, ad quem me refero. Quid enim aliud fuit accuſatio illa, atq; hinc conſecuta defenſio purgatioque primorum noſtrorum parentum, in Paradyſo ſtatim *à* lapſu illo humano generi perniciofiſſimo, ſeſe coram Deo excuſantium atque defendentium? Quid fuit aliud, quod Deus ipſe Ter Opt. Max. filium ſuum vnigenitum tùm promiſit in tempore ſe daturum, qui caput ſerpentis ſit contriturus, niſi vt aduocatus ille noſter atque interceſſor ac patronus foret, & nos ab accuſationibus & impetitionibus Diaboli, antiqui illius ſerpentis, defenderet atq; tueretur? Ita namque verbis haud ſane obſcuris id explicat D. Paulus ad Roman. *cap. 8. verſic. 34.* & ad Hebræos *cap. 7. verſ. 25.* dum ait: Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt: imò verò qui etiam excitatus eſt; qui etiam eſt ad dexteram Dei; qui etiam poſtulat pro nobis, hactenus ille. Eſt autem pro aliis poſtulare aduocatorum proprium, *l. 1. & paſſim toto tit. de poſtulando,* vbi gloſſ. & Doct. Et apertius idipſum docet Diuus Iohannes *in priori ſua Epiſtola cap. 2. verſ. 1.* Quod ſi, aiens, quis peccauerit, aduocatũ apud patrem habemus, Ieſum Chriſtum iuſtum, hæc ille.

Sic Abrahamum Patriarcham aduocatum & interceſſorem apud Deum pro Sodomitis & Gomorrhæis ſacræ literæ inducunt, Gen. *cap. 19. verſ. 22. & ſeqq.* Moyſes & Aaron in Ægyptum mittuntur pro populo Iſraëlitico apud Pharaonem interceſſores & aduocati. Exod. *cap. 3. 4. 5. 1 & ſeqq.* Suſannam Ioachimi in Babylone Hebræorum iudicis coniugem *à* falſo iudicio

& pœna

Digitized by Google

& pœna adulterij poſtulatione & aduocatione Danielis pueri quis liberatam neſcit? Hiſtor. Daniel. Quid de Mardochæo dicam pro populo ſuo apud Heſteram intercedente? Quid de ipſa Heſtera regina? quę gentis ſuę periculo præſentiſſimo commota, non leges ſeueras, non edictum regis reuerita, Artaxerxen, cuius in pellicatum fuerat recepta, adijt, ſuorumque eſt deprecata excidium, & in caput Ammanni hoſtis, cuius ſuaſu & impulſu fuerat id periculum Iudæis conflatum, conuertit, Heſter. *cap. 4. & 5.* Et ſimilium quidem exemplorum ſexcenta in ſacris literis paſſim reperire eſt, quibus aduocationis noſtrę antiquitas & autoritas condignè poteſt probari. Nam & ſacroſanctæ ſcripturæ autoritatem ad deciſiones cauſarum forēſium allegari poſſe nemini dubium eſt. Docet eleganter Hieron. Schurff. *conſ. 7. nu. 10. cent. 1.* accedit Maſcard. *de probat. vol. 3. conclu. 1294. nu. 11.*

Et vt fortè quis hæc ad rem, adque id, quod probare intendo, haud ſatis apta accommodataque exiſtimet eſſe, is porrò hiſtorias Romanas legat & perpendat, ex quibus apud Romanos iam inde à Romulæis temporib. PATRONORVM & CLIENTVM inſtitutæ noſcuntur neceſſitudines. Dionyſ. Halicarn. *lib. 2. Buda. in l. Herennius. ff. de euict.* Ioan. Gorſia. *de expenſ. & meliorat. cap. 12. num. 3.* Ioan. Bodin. *de Republ. lib. 1. cap. 7.* Franciſ. Balduin. *ad leg. XII. tab. cap. 5.* Plautus *in Menechmo.* Quid autem IVS illud CLIENTELARE, quid PATRONORVM erga CLIENTES officia priſcis illis temporibus aliud fuerint, quàm ADVOCATIONES, quibus de hîc loquimur, equidem non video? Sanè vel eædem fuerunt olim clientelæ Romanæ cum aduocationibus noſtris hodiernis; vel certè ad exemplum & imitationem Priſcarum illarum Romanarum, hodiernæ noſtræ adinuentæ primitus & inſtitutæ ſunt. fac. notat. Cuiac. *in paratit. C. de aduocat. diuerſ. iudic.* Refertur quidem ab alijs IVS illud CLIENTE-

LARE ad principes potiſſimum perſonas, & vniuerſitates atque collegia integra, abſque his vel inter ſe, vel cum ſubditis inita fœdera & pactiones, veluti Bodin. docet de Republ. *d. cap.* 7. verùm ſi originem eius altius velimus repetere, apertum ſatis ſuperque fiet, Romanæ clientelæ initium fuiſſe FAVOREM EGENTIVM. Permiſſum namque Romanæ plebi fuit, quem ſibi vellent ex patriciis in patronum eligere, vti eo fortunarum ſuarum defenſore iniuriam potentiorum propulſarent, ſuſcepto pro clientibus *à* patricijs patrocinio. vide Garſia. *dicto loco.* Inſtituit enim Romulus Clientelas vt firmiſſimum ſanctiſſimumque Reipublicæ vinculum, vt ſcilicet patroni clientibus præeſſent, iiſque conſulerent, tanquam pattres filijs, & ipſi rurſus à clientibus velut filijs patres colerentur. Franciſcus Balduinus *ad legem duodecim tabularum, cap.* 5. Vnde & Clientes quaſi colentes appellati: & patroni dicti quaſi patres, Dionyſ. Halicarnaſſæus *lib.* 2. Coraſ. *in l. 6. §. ne potentiores, numero 1. ff. de officio præſid.* Quod ipſum quoque & in foro maxime, cauſiſque atque controuerſijs forenſibus conſpicuum erat, velut eleganter Bodinus *d. cap.* 7. oſtendit, & docet Balduinus modò allegato *capit.* 5. dum ait: Ius & Leges Clientelarum fuiſſe, vt patroni ſuis clientibus non ſecus, atque parentes filijs, conſulerent, IN IVDICIIS ADESSENT, & denique proſpicerent: Clientes verò patronos ſuos, vt filijfamilias parentes colerent, ADVERSVS EOS TESTIMONIVM NON DICERENT, ACCVSATIONES NON INSTITVERENT, hæc ille. Quod & Ouidius innuit, dum dicit:

Difficilis cauſæ mitte patrocinium.

Et alibi:

Cauſa patrocinio non bona maior erit.

Et huius porrò exemplum omnibus ſuis coloribus depictum

Plautus

Plautus Comicus refert in Menæchem,dum in hæc verba loquitur:

Atque hoc viuitur more morum moleſto maxumè omnium,
Atq; vti quiq; optimi ſunt maxumi morem hunc habent,
Clienteis ſibi omnes volunt eſſe multos;boni an mali ſint
Id haut quæritant,res quæritur magis, quam clientum fides
Quo iusmodi cluat: ſi pauper eſt atq; haut malus
Nequam habetur;ſin diues malus eſt,habetur is cliens
Frugi;qui neq; leges,neq; æquum, neq; bonum vſquam colunt,
Solicitos patronos colunt; datum denegant, quod datum eſt,
Litium pleni,rapaces,fraudulenti ſunt viri,
Qui aut fœnore,aut periuriis paratam rem habent,
Mens in querelis iuris,vbi dicitur dies,ſimul
Patronis dicitur,quippe qui pro illis, qui malè fecerint,
Loquantur, aut ad populum, aut in iure, aut res eſt ad iudicem:
Sicut me hodie nimis ſolicitum quidem habuit cliens,
Neq; quod voluit agere,quiſquam licitum eſt, ita me adtinuit,
Ita detinuit apud Ædiles prœliis factis plurimis
Peſſumisq;:dixi cauſam; conditiones retuli
Tortas,confragoſas, plus minus,opus quam erat, multò dixeram
Controuerſiam,vt ſponſio fieret: Quid ille? prædam dedit,
Nec magis ego manifeſtò teneri hominem vnquam vidi
Omnibus malefactis,&c.

Hactenus Plautus.

Ex quo loco cõſtat, iam tũ illius ætate clientelarũ auctoritatem atq; ſinceritatem corruptam, & ad iniurias,deprædationes atq; turpia lucra inuerſam conuerſamq; fuiſſe, quod ſcilicet patroni, quos clientes defendendos ſuſceperant,quoniam ad dignitatem ſuam pertinere videbatur,vnde quoque vtilitas pullulabat,ſi in cauſis cõtrouerſis victores euaderent, contra fas & Ius,

Digitized by Google

æqui pariter & iniqui deſpecta ratione tuebantur & defendebant. Quod equidem & de quibuſdam hodie Aduocatis, (qui tamen Aduocati nomen non merentur) & forenſibus patronis, ſeu Rabulis potius, velut Cic. eos vocat, *lib. 1. de Orator.* verè nimis, & neſcio an verius dici poſſit, quam de priſcis illis à Plauto hîc ſcriptum eſt. De quibus videri etiam poteſt Ioan. Rogg. Triohæus *in tract. de officio iudicis in cauſ. capitalib. ad l. aut facta, ff. de pœn. in verb. & infidæ aduocationes.*

Et verò in more poſitum veteribus fuiſſe, vt quiſq; populus ac quæq; natio populo Romano confœderata Romæ ſuum habuerit vnum ex proceribus patronum, ex Cicerone diſcimus, & annotauit ex noſtris Ioannes Coraſ. *in l. illicitas, §. ne potentiores, nu. 3. de offic præſid.* velut Siculi ipſum M. T. Ciceronem olim habuere patronum, Allobroges Fabium Sangam; Syracuſani Marcellorum familiam; Lacedæmonij Claudiorum gentem: Bononienſes verò Antonios, Coraſ. *d. nu. 3.* Hinc Cic. ad Attic. Scit, ait, quam diligam Siculos, & quam honeſtè illam Clientelam iudicem. Et *lib. 15. Epiſtol fam 4 ſub fin.* Cumque omnes vno propè conſenſu de me, inquit, apud te ea, quæ mihi optatiſſima ſunt prædicabunt; tum duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus Inſula, & Cappadociæ regnum tecum de me loquentur. hæc ille. Nec Romanis ſolum id, ſed & antiquis Græcis, Celtis, Illyriis, Aſiaticis, & Ægyptijs, qui longe ante Romuli tempora vixerunt, vſitatiſſimum fuiſſe, autor nobis eſt Bodinus *d. cap. 7.* Atq; hic quidem mos generalem eligendi & conſtituendi Aduocatum & Patronum etiamnum hodie in Romano Imperio perquam eſt vſitatus, cùm conſtet Principes paſſim viros & ciuitates inſigniores ſuos habere & alere Aduocatos generales in ſummo Imperij Romani dicaſterio, quod eſt Spiræ Nemetum, qui cum opus eſt, ex generali mandato, ipſos defendant & protegant. Et verò Iohannes Gorſias ICtus excellens *in d. c. 12. nu. 5. & 6.*

Digitized by Google

& 6. Expreſſe aduocationes noſtras ad veteres illas Romanæ clientelas refert: dum ait: Inde quoq; iure nouiori & ex eadem translatione nomine clientum litigatores intelligimus, ſicuti & patroni poſtulatorũ, aduocatum, quam verborum notionem vſus hodie magis obtinuit. Et poſt interuallum *ſub n. 6.* de priſcis illis Romanæ clientelis verba faciens, inquit: Præterea illa clientelæ obſequia & ſeruitia, aut rectius dicas, officia ſua in ocio, pace, & in medio foro exigebant, vbi lis agenda erat, & de cauſa cognoſcendum; hactenus Gorſias. Quod ipſum & Octauij Auguſti exemplo comprobari poteſt, quod inter eiuſdem apophtegmata in hunc modum refertur: Veteranus quidam cùm vocatus in ius periclitaretur, adijt in publico Auguſtum, rogãs, vt ſibi in iudicio adeſſe vellet. Auguſtus ex comitatu ſuo ſelectũ illico dedit, eiq; litigatorem commẽdauit, miles vociferans, inquit, at non ego Cæſar periclitante te Actiaco bello vicarium queſiui; ſed pro te ipſe pugnaui, ſimulq; detexit cicatricem: erubuit Cæſar cum ipſomet deſcendit in aduocationem, veritus ne nõ modo ſuperbus, verum etiam ingratus videretur, Eraſ. in Apophteg. Auguſti, *lib. 4. nu. 40.* Sed & Scipionem legimus aliquando Siculo cuidam ſuo clienti patronum dediſſe hoſpitem quendam ſuum, hominem quidem nobilem ſed egregie ſtultum. Hîc Siculus: quæſo inquit pretor, aduerſario meo da hunc patronum: deinde mihi neminem dederis. Sentiens illum tam inſigniter ſtultum, vt illo diuerſam partem adiuuante, poſſet etiam nullo patrocinante vincere. Eraſm. *lib. 6. apophteg.* Et Granius quidam præco patrono malo cum dicendo vocem obtrudiſſet, ſuaſit, vt ſimul ac domum rediſſet, frigidum mulſum biberet: quum is reſpondiſſet. perdam vocem, ſi id fecero, melius eſt, inquit Granius, flere vocem, quam reum, Eraſm. *d. lib. 6.* Sed quid pluribus opus eſt verbis, cum vel ex iure noſtro ciuili oſtendi poſſit clientum nomine litigatores intelligi, ſicut & pa-

tronorum poſtulatores atque aduocatos. Sic enim Iuſtinianus Auguſtus, Patroni, ait, cauſarum qui vtrique parti ſuum præſtantes auxilium ingrediuntur, ſacroſanctis euangelijs tactis iuramentum præſtent, quod omni quidem virtute ſua, omnique ope, quod verum & iuſtum exiſtimauerint, clientibus ſuis inferre procumbunt, *l. rem non nouam, 12. §. patroni, C. de iudic.* Et Impp. Leo & Anthem. in lege hac noſtra particulis illis aduocati & patroni promiſcuè & indifferenter vtuntur, dum aiunt: Nec enim ſolos noſtro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur; ſed & aduocatos; militant namque cauſarum patroni. hæc illi. Ecce quos aduocatos primùm vocarunt, eos poſt nominant patronos? Atque huc porro faciunt & ea, quæ Iacob. Cuiac. in hanc rem ſcribit, docens in promiſcuo vſu hodie eſſe iſtas appellationes, Patronus, Aduocatus, Cauſidicus.

Fuit quidem olim inter Patronos & Aduocatos differentia non nulla, quod illi cauſas in foro agere, at hi Aduocati in conſilium fuerunt ſoliti; vnde & Aduocati nomen deductum conſtat, velut inferius ſuo loco dicetur, & videndum de hac differentia Laur. Valla, *lib. 4. de Latina lingua cap. 12.* vbi dicit, Aduocati nomen eſſe generalius, quàm nomen patroni; ſiquidem quicunque alteri adeſt officij gratia, Aduocatum dici, etiamſi nihil dicat vel agat; cùm patronus propriè is ſit, qui agat cauſam ſed accuſati, non accuſantis, hæc ille. Sed hodie differentia iſta ſublata omninò eſt.

Atque ex his quidem omnibus abundè liquere arbitror, aduocationis noſtræ originem, ſi non antiquiſſimam, antiquam certè, & hinc autoritatem eiuſdem eſſe haut contemnendam.

CAPVT

CAPVT II.

De dignitate eius muneris, deque claritate virorum hoc Aduocationis officio defunctorum.

ET porrò ſi à dignitate quoque atque excellentia virorum hocce officio defunctorum autoritatis aliquid atque commendationis noſtræ accedere poſſit aduocationi, vti poſſe nullus planè addubito; agè exempla referam aliquot virorum ſanctorum, nobilium, clariſſimorumque, qui aduocati olim fuerunt, & id muneris cum honore & emolumento atque incremento Reipubl. geſſerunt. In hac autem claſſe primus occurrit & primas meritò tenet ſanctiſſimus ipſe Dei filius, Ieſus Chriſtus. Nec enim deſunt, qui in laudem aduocationis noſtræ tradant, non rarò ipſum aduocati partes ſubiiſſe: velut Andreas Tiraquel *d. nobilit. d. loco.* & Barthol. Chaſſan. *in Catalogo gloriæ mundi, part. 7. conſid. 29 verſ. & quod tale officium.* referunt, exemplisque comprobant plurimis. Similem ad modum pro alijs intercesſerunt & poſtularunt, quos ſupra retuli, diui Abrahamus, Moyſes, Aaron, Daniel, Mardocheus, Heſter, & alij ex numero ſanctorum innumeri. Sic & diuum Ambroſium, qui vnus fuit ex quatuor illis Eccleſiæ Archidoctoribus, per totos vndecim annos cauſas Romæ in Palatio ſplendidè peroraſſe, autor eſt Chaſſ. *d. par. 7. conſid. 29. verſ. fuerunt & plures aduocati.* vbi & alios eccleſiarum doctores, viros ſanctos & beatos, aduocati munere claros recenſet.

Et quid ex hiſtoria Romana, noſtroque, quod vocamus, iuris Corpore plura refert allegare exempla, virorum vel in ſummo dignitatis faſtigio collocatorum, qui aduocationis officio addicti

addicti deditique fuerunt. Diuus Germanicus, diui Caligulæ pater, quem omnes miris laudum præconiis extollunt, orauit cauſas, etiam triumphalis, velut à Suetonio traditum eſt. *Sueton. in Caligula.* Torquatus conſul reo de pecuniis repetundis Catilinę fuit aduocatus, licet homini improbo, quemadmodum Cicero autor eſt. *Cic pro P. Sylla* Hortenſius ante conſulatum ſuum agendis cauſis forenſibus addictus fuit, ſicuti ab eodem Cicerone eſt annotatum. *Cic. in Bruto.* Quod ipſum & Plinius Iunior de ſemetipſo ad Pompeium Falconem ſcribit, *li. 1. Epiſt.* Et quid Ciceronem referam, quem Marquardus Frederus Conſiliarius Palatinus, vir magnificus in Sulpitio ſuo, ſeu de æquitate commentario, autorem vocat nullo Iuriſconſultorum noſtrorum, etiam iuris cognitione, inferiorem; qui quot quantasq; in foro egerit cauſas, ipſius opera teſtatum faciunt. Plinium inſuper ſeniorem virum omnibus eruditionis ac doctrinæ numeris abſolutiſſimum aliquandiu cauſas egiſſe in foro, ex iuniore Plinio conſtat *lib. 8. Epiſt ad Marium.* Quin & Veſpaſianum poſt ſtipendia, quibus Tribunum militum magna fama geſſerat, foro operam dediſſe Suetonius ait. Vt taceam Iureconſultos noſtros, viros omni laude digniſſimos, qui maxima ex parte aduocationis officio functi ſunt. Velut de Marciano inter Iureconſultos celeberrimo conſtat ex *l. 1. §. vlt. in fi. ff. ne de ſtat. defunct.* & de ſemetipſo teſtatur Paulus alter Iureconſultus, in hoc Collegio haud poſtremus, *in l. quæſitum eſt, §. cum vir, ff. de legat. 3.* dum refert, quod in quadam cauſa, in qua poſtularat, non obtinuerit, quod defendebat. Cuius exemplo Tiraquellus *d. loco nu. 18.* aduocatos noſtri temporis monet & cohortatur, ne ægre ferant, ſi quando in cauſa ſuccumbant. Cumprimis autem ex Priſcis illis Legumperitis, aduocati munere defungentibus, laudatur Sext. Ælius, æqualium ſuorum tum peritiſſimus atque diſertiſſimus, quod more veteri tráſuerſo foro obambulans, ciuibus omnibus

conſilij

conſilij ſui copiam fecerit, Valent. Forſter. *de hiſtor. iur. ciuil. lib. 2, cap. 12. nu. 5.* Et ne ſingulos ſingulariter referendo & aduocando Iureconſultos, quorum tum in iure noſtro, tum alibi plurima fit mentio, & tempus me & calamus deficiat, coniunctim omnes, quotquot fuêre olim hîc recenſitos, & in album ac claſſem aduocatorum relatos volo, idque autoritate Ciceronis, qui Iurecõſultum alibi definiens in hæc verba loquitur: Sin autem quæreretur, quiſnam Iureconſultus verè nominaretur, eum dicerem qui legum & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vterentur, & ad RESPONDENDVM, & ad AGENDVM, & ad CAVENDVM peritus eſſet, & ex eo genere S. Ælium, M. Manlium, & P. Mutium nominarem. hæc Cic. *de Orator. lib. 1.* Et verò de recentioribus iisque qui patrum auorumq; noſtrorum memoria vixére Iureconſultis, viris clariſſimis, qui aduocando aliis præſtò fuerunt, nil attinet dicere, cum & adhuc hodie ex Doctorum numero vel præcipuos atq; præſtantiores id munus ſumma cum laude & vtilitate publica priuataque exercentes nouerimus, vt iam mirum nemini poſſit eſſe, cur aduocati munus nobilitati in tantum non officere, (contra quam nonnulli haut ſane recte rem edocti ſibi perſuaſum habuerunt) vt potius Aduocati nobilitatem inde conſequantur, plærique ex noſtris Doctoribus ſtatuerint, & receptum paſſim ab omnibus ſit, de quo late Tiraquel *d. cap. 29 per tot.* cum & Valerius Maximus inter ſcriptores Romanos vel receptiſſimus & maxime authenticus M. Ciceronem forenſi militia ſummos honores ampliſſimumq; dignitatis locum adeptum fuiſſe, memoriæ proditum reliquerit. Valer. Max. *lib. 8. cap. 5.*

C CAPVT

CAPVT III.

De laudibus & encomiis, quibus Priſci, & Imperatores Aduocatum commendant.

ADSVNT præterea Imperatorum clariſſimorum aliorúmque præſtantium virorum laudes & encomia, quibus Aduocatus noſter mirum in modum commendatur & extollitur. Nam & Anaſtaſius Imp. laudabile vitæque hominum neceſſarium aduocationis officium vocat, quod maximè principalibus præmiis oporteat remunerari, *l.4. in princ. C. de aduocat. diuerſ. iudic.* Et Iuſtinianus Auguſtus, viros clariſſimos Aduocatos, & eloquentiæ lumina non veretur appellare, *l.6. in princ. C. eod. tit.* Et Diui Valentin, Valens, & Gratianus, Nobiliſſimos etiam appellitant, *l.7. C de poſtulan.* Quamuis ſint, qui vocabulum NOBILISSIMOS, ſignificare dicunt præſtantiſſimos, excellentes, & primos; D. Dionyſ. Godofred. ad *d. l 7. C. de poſtul.* quemadmodum dicimus, nobilis ſcelere, Cic. *pro Roſcio.* virgo nobilis, Cic. Horat. *4. Carmin.* nobile ſcortum, agri nobiles, &c. Cic. *dd. locis.* Godofred. *d. loco.* non quod indè ſtatu & genere nobiles efficiantur Aduocati, contra quam aliis placuit, quorum etiam opinio non parum iuuatur loco Spartiani in Iuliano Imp. hæc in verba fantis: Didio Iuliano, qui poſt Pertinacem Imperium adeptus eſt, proauus fuit Solinus Iulianus, bis conſul, præfectus, vti & Iureconſultus, quod magis eum nobilem facit. hæc ille. Sed & Anacletus Papa Aduocati munus artem vocat laudabilem, *c. quia Epiſcopus, 5. quæſt. 3.* Et porro Aduocati officium honoris atque dignitatis plenum eſſe, aliundè ex iure diſcimus, in tantum, vt & iudici inhoneſtum non ſit, nihilque ipſius honori

nori decedat, cum poſtulat pro aliis, de aduocationis munere apud alium iudicem fungitur, *l. quiſquis, 6. §. quiſquis, 6. C. de poſtuland.* Vt non immeritò abs Doctoribus noſtris pro communi opinione traditum legamus, quod eſſe aduocatum, honos ſit & dignitas, per notata à Bruno *de ceſſion. bonor. quæſt. 10. quæſt. 4. princip. numero 14. & ſeqq.* adeoque nec infames ad id muneris adſpirare, Tiraquell. *d. cap. 29. numero 13.* nec Aduocati ipſi vilioribus iſtis miniſteriis & officiis, qualia de iure ciuili notariorum ſunt, & procuratorum & collectorum atque ſimilium id genus, ſine dedecore fungi queant. Tiraquell. *d. numero 13. & 14.* Brun. *d. num. 14* Quod ipſum & Marquardus Freher vir magnificus & nobilis in Tractatu ſuo de Exiſtimatione *lib. 1. cap. 5. numero 6.* mihi viſus eſt innuere, dum ADVOCATOS VERAM & SOLIDAM GLORIAM ſemperque HILAREM FAMAM SEQVI, ſcribit. Et quod caput Rei eſt, Valentinianus Imperator Aduocatorum corpus SEMINARIVM vocat DIGNITATVM. Nouella Valentin. *de poſtuland.* velut refert Cuiac. *in Paratit. Cod. de cauſ. ex quib. infam.* Ego tamen in meo exemplari, quod autorem habet Ioannem Sichardum, inter Nouellas Valentiniani, hanc, quam ille citat, non reperio. quaſi ex quo omnis generis viri fungendis honoribus & dignitatibus apti prodeant, & quaſi ex equo Troiano deſcendant.

Non ſolùm autem apud Romanos, ſed & Athenienſes cæterosque Græcos, atque ipſos etiam barbaros patrociniorum aduocationisque vſum fuiſſe, dum quidem honorificum & laudatum aliunde nobis conſtat, veluti apud Tiraquel. *d. cap. 29. num. 25.* videre licet.

CAPVT IV.

De vtilitate atque neceſſitate aduocationis.

QVIBVS omnibus accedit etiam & cooperatur in commendatione, ſumma illa maximaq; ipſius aduocationis neceſſitas, atque tum publicæ, tum priuatæ rei vtilitas ſane perquam euidens, de qua vel vnicum illud Leonis & Anthemij Auguſtorum Auguſtum & egregium reſcriptum plenam nobis fidem facere poſſit. Aiunt illi: Aduocati, qui dirimunt ambigua fata cauſarum, ſuæque defenſionis viribus in rebus ſæpe publicis ac priuatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quam ſi prælijs atq; vulneribus patriam parentesq; ſaluarent. Nec enim ſolos noſtro Imperio militare credimus illos, qui gladijs, clypeis, & thoracibus nituntur, ſed & Aduocatos. Militant namque cauſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt, *l. aduocati, 14. C. de aduocat. diuerſ. iudic.* Quanta autem ſit vtilitas, quanta ſit neceſſitas artis & diſciplinæ reique militaris vel hinc ſatis poteſt ſuperque conſtare, quod eá & aras & focos ſaluos habemus. Eraſm. *in apophteg.* Demoſth. *in Orat. de ordinat. ciuitat.* Cicer. *lib. 2. de legib. & libr. 3. de finib.* Alberic. Gentil. *de iure belli, lib. 1. cap. 9 & 10.* Ea & parentum & liberorum vita & ſalus conſeruatur, defenditurq; vxorum filiarumque noſtrarum honor & pudicitia, Demoſth. *in orat. funeb.* Ne vrbes & caſtra capiantur diripiantúrve illa præcavet. Cic. pro Muræna. A finibus arcet hoſtes. Cic. *ibid.* Alit concordiam, & diſcordias pellit. Cic. *ibid.* Et in ſumma facit ars militaris, vt quiete & in pace cum parentibus, coniuge & liberis queas viuere, Cic. 1. *Offic.* vbi inquit: Suſcipienda bella ſunt, vt in pace ſine iniuria viuatur. Et Dem. in orat. *de falſa legat.* Si quis, ait, reuera ipſa pace gaudet, ipſis ducibus

Digitized by Google

oibus, quos omnes accuſant, gratiam habeat. adde quæ ſcribit Alberic. Gentil. *de iure belli, lib. 1. cap 5.* Cum ergo militent aduocati, munuſque aduocationis militia quædam ſit, velut Impp. hîc, & alibi Valer. Maximus vocat; quis non ſummis laudibus Aduocatum noſtrum, vel ad cœlum attollat, quis eius profeſſionem atque ſtudium vitæ humanæ neceſſarium, quis ſummè vtile atq; proficuum eſſe negabit, poſſitque ire inficias? Parua foris eſſe arma, niſi & conſilium domi ſit, eleganter Cicero *in 1. Officiorum*, refert. Merito ergo ſuo & domi qui pacem atq; concordiam inter ciues procurant atq; tuentur, velut Aduocati faciunt, non ſunt minori laude atq; præmio digni, quam qui foris pro ſalute patriæ arma capiunt, vitamq; non verentur profundere. Cic. *in Somnio Scipion.* Et verò maioribus etiam videntur afficiendi præmiis atque honoribus togati hi milites, quam ipſi armati; cum bella haud ſanè feliciter foris gerantur, niſi ſedatis domi diſcordiis ciuilibus, & concordia inter domeſticos procurata plantataque: quod clarè oſtendit Demoſthenes *in Orat. de reb. che.* dum ait: Fieri non poteſt, vt externos hoſtes vincatis, niſi animaduerteritis in domeſticos hoſtes, & inteſtinos illius miniſtros. Et hoc ipſum quoque eſt, quod Cicero alibi dicit: Minuendam ſcilicet eſſe illorum opinionem, qui arbitrantur, res bellicas maiores eſſe, quam ſint vrbanæ, hoc eſt, aduocationes. Hinc & ille Græcorũ dux Agamemnon optaſſe, vti decem non Aiacis bellicoſi, ſed Neſtoris ſapientis & eloquentis ſimiles haberet, & breui ſe potiturum Troia dixiſſe dicitur. Cic. *in Catone maior.* refert. Innuens ſcilicet, & pacis & belli tempore conſilia eorum, qui optimis inſtructi diſciplinis ad rem gerendam accedunt, maximo ſemper fuiſſe vſui, etiam in ipſis rebus bellicis; cum vel ipſa bella aut ſuſcepta, aut confecta conſilio ſapientum, haud rarò fuerint. quo facit quod Pyrrus magnus ille Epirotarum Rex multarum vrbium gentiumque victor de Cinea

Digitized by Google

Oratore Theſſalo dixiſſe ſolitus legitur, quod videlicet oratione ſua plures ſubegerit vrbes, quam ipſe cæpiſſet armis, refert Eraſm. *lib. 5. apophteg.* Vt ita ſuo iure meritoque laudentur Lacedæmonij, quod tales ſemper bellorum duces eligere ſoliti fuerint, qui non ſolum fortes eſſent ad præliandum, verum etiam callidis conſiliis aduerſus hoſtem vti ſcirent: præclarius videlicet exiſtimantes eſſe, hoſtem ingenio citrà ſanguinis profuſionem deiicere, quam pugna plærumque vtrinque cruenta. Et hæc quidem ratione Aduocati militare dicuntur; & id profecto recte.

Quotus enim quiſque opera & ſtudio Aduocati è manifeſto vitæ fortunarumque periculo ereptus & in tutum collocatus hactenus eſt? Quotuſquiſque auxilio aduocati ſaluam habet famam & illæſam exiſtimationem? Quotuſquiſque rem domeſticam ab alijs vel occupatam vel occupandam ſartam habet & tectam virtute Aduocati? Cumque reſpubl. hoſtem non habeat immaniorem atque capitaliorem diſcordiis domeſticis & ciuium ſimultatibus; ſuo profectò merito laudandus & ſtatua donandus eſt, qui eum hoſtem vrbe pellit & eiicit & concordiam atque amicitiam inter ciues procurat. Is autem eſt Aduocatus noſter. Et vt tandem cõcludam meq; hac in parte abſoluam, Aduocationis noſtræ ſumma neceſſitas vtilitasq; vel inde etiam doceri poteſt, quod Felinus *in cap 1. num. 1. verſic. dubito. extr vt lite non conteſtat.* dicit; quod carere Aduocato, eſt carere magna parte defenſionis debitæ, vſque adeo quidem vt ob carentiam Aduocati quis ex clauſula illa generali, ſi qua mihi iuſta cauſa eſſe videbitur, reſtitutionem in integrum & petere, atque obtinere etiam poſſit & debeat.

CAPVT.

CAPVT V.

Argumenta & rationes, quæ in vituperium Aduocationis ab aliis paſſim afferri ſolent.

ATQVE hæc quidem omnia, quæ in laudem Aduocationis noſtræ allegata à me hactenus ſunt, ſi ad probandum id, cuius in gratiam producta fuerunt, quis putauerit eſſe ſufficientia, inquirendis alijs ſuperſederem, & ad rem ipſam noſtræque materiæ tractationem, accederem propius. Veruntamen cùm ſint, qui contrarium proloqui non erubeſcant, & in vituperium aduocationis aduocatorumque multa, & ea quidem ſpecioſa cum primis atque plauſibilia fundamenta & rationes accumulare ſoleant, non alienum ab inſtituto hoc meo arbitratus ſum, ſi ad illa paucis reſponderem, eaque ita diluerem, ne quid inde periculi damníve Aduocato noſtro ſupereſſe poſſit. Et quidem quod aduocationis officium ne minimum quidem habeat vel honoris vel dignitatis partem, ſed munus ſit abiectum, vile, minimeque conueniens nobilitati atque dignitati, inde cumprimis annituntur comprobare; quod Libertini olim Aduocati potuerint eſſe, *l.1.§ vlt. ff. de poſtuland. l.2.C. eod. tit.* quibus tamen ad dignitatem adſpirare datum non fuerit, *l.1.C. ad leg. Viſcell. l.1. C. ſi ſeru. aut libertin.* niſi impetrato iure aureorum annulorum, dd. ll. Tiraquell. *d. cap. 29 nu. 1.* Secundo dicunt, quod olim, qui in faſtigio dignitatum collocati ſemel fuiſſent, ab hocce officio ſponte ſe abdicarint, tanquam dignitati ſuæ tenebræ quædam inde offunderentur. Probant exẽplo Hortenſij, poſt acceptum conſulatum, ſummum quo antea tenebatur, ſtudium agendarum cauſarum remittentis. Demonſtrãt exemplo Iunioris Plinij, qui dum factus eſſet Tribunus plebis, agendis cauſis ſe abſtinuit.

nuit, quod deforme arbitrabatur, cui aſſurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus ſedentibus ſtare: Et qui iubere poſſet tacere quemcunq́, huic ſilentium clepſydra indici: Et quem interfari nefas eſſet, hunc etiam conuitia audire, & ſimulta pateretur, inertem, ſi vlciſceretur, inſolentem videri, hęc verba ipſius Plinij ſunt. Ex quibus tria hæc obiter hîc notanda, nec ſicco pede tranſeunda ſunt. Primum eſt, quod olim Aduocatus in iudicio ſtare cogebatur, nec ſedere ei liceat. ibi: hunc, omnibus ſedentibus, ſtare. Quod & ex iure noſtro diſcimus. Nam Valentinianus & Valens Impp. Nec putet, aiunt, quiſquam honori ſuo aliquid eſſe detractum, cum ipſe neceſſitatem elegerit STANDI, & contempſerit ius SEDENDI, *l. quiſquis, 6. §. quiſquis, 6. C. de poſtulan.* nec DD. & Impp. Arcad. Theodoſ. & Honor. idem reſcripſerunt, dum aiunt: Honorati, qui litem habere noſcuntur, hic horis vel temporibus, quibus cauſarum vel merita vel facta panduntur, RESIDENDI cum iudicibus FACVLTATEM non habeant, *l. 1. C. de offic. ciuil. iudic.* Hoc tamen hodie abrogatum eſt, vſuque non ſeruatur, cum & Aduocati, quando in iudicii honorem publicationibus ſententiarum adſunt, nõ coguntur ſtare, ſed ſuas habent & occupant ſedes proprias atque ſolitas. Velut de Aduocatis Cameræ Imperialis teſtatur Petr. Denaiſ. in iure Camerali, *tit. 21. num. 2.* Et de conſuetudine atq; ſtylo & obſeruatione dicaſterij ſereniſſimi noſtri Electoris idem ſeruatur, quemadmodum conſtat iis, qui vel ſemel ſententiarum publicationibus interfuerunt. Alterum, quod ex loco illo Plinij obſeruandum dixi, eſt, quod Aduocati ad clepſydram agere & dicere tenebantur. Quod quidem & ab aliis laudatum atque comprobatum eſt. Nam gloſſa *in l. ex ea cauſa, in verb. ex ea, ff. de poſtuland.* Aduocatum nimium verboſum *à* iudice repelli, & poſtulando ei interdici poſſe ait. adde Neuizan. *in ſylva nupt lib. 1. in proœm. nu. 18.* Decet namque Aduocatum λακωνικῶς λέγειν, hoc

eſt,

eſt, compendioſè & Laconum more breuiter loqui, & breuitati tam in ſcribendo quàm loquendo ſtudere, nec odioſa repetitione & impertinentium allegatione rem obſcurare magis & intricatam reddere, quam explicare & aperire iudici. Etenim qui hac vtitur verboſitate, præſumitur malus eſſe & inſcius. Nam pauca loqui, & probum eſſe virum, cantatum paſſim inter veteres memoriæ prodidit magnus ille Deſ. Eraſm. *in Chiliad. ſuis*. Ergo ex contrario ſequitur, quod multa loqui, & vanum eſſe ſeu malum virum, non abſurdè dicatur.

Vnde legimus apud Philomenem, quendam Anaximenem, qui plus æquo prolixam habuit orationem, perpulcrè à Theocrito ſic fuiſſe redargutum, quod dixerit Theocritus: verborum quidem flumen eſt, mentis verò gutta. Et verò præſtantiſſimos quoſque omnium temporum Iureconſultos huic breuitati atq; compendioſitati ſtuduiſſe, argumento nobis ſunt fragmenta illa priſcorum Iuriſconſultorum in corpus, quod vocamus, iuris noſtri redacta atq; compacta: quorum quidem veſtigiis inſiſtentes ſuperiorum ætatum viri prudentes, non abs re & extra rhombum, quod dicitur, illud vulgare frequenter in ore habuerunt; GAVDENT BREVITATE MODERNI: Quo dicto ſane egregio ſe inuicem volebant commonefactos, ne breuitatis ſtudij immemores abſurdo vterentur multiloquio, & ita in crimen fors inciderent battologiæ, quod non rarò ex verboſitate huiuſcemodi neceſſario conſurgit. Hinc in Parlamentis, quæ vocant, ſiue ſupremis illis curijs atq; iudicijs regni Galliæ prolixitatem Aduocatorum (qui non ſine magnis partium impenſis, & cauſarum retardatione longa ambage verborum & prolixa oratione cauſas ſæpe protrahebant) tanquam proteruam, publico edicto Regio reſtrictam, & ad magnum partium commodum, & totius Reipubl. tranquillitatem, ita moderatam eſſe, vt in poſterum omne ad cauſæ vtilitatem pertinens atq; ſpectans,

D quodcunq;

Digitized by Google

quodcunque etiam illud fuerit, vna oratione perſtringerent, & qua poſſint breuitate ſingula comprehẽderent, annotauit Pet. Rebuff. *ad conſtit. Reg. tit. de materia poſſeſſ. art 5. gl. 1. num. 1.* Quod ipſum & Aduocatis Cameræ per ordinationem imponitur; velut Denaiſ. *tit. 233. n. 2.* docet, & verba ordinationis *lib. 1. tit. 23. ver.* Es ſoll auch. habent, quæ in hunc ſunt concepta modum. Es ſoll auch ein jeder Procurator (quod ipſum & de Aduocatis eſt exaudiendum, argumento rubricæ, quæ eſt; Von der Advocaten vnd Procuratorn Ampt vor Gericht/ꝛc. & conſonant verba nigri, vti dicetur inferius, conſentitque Denaiſij locus modò citatus) Schimpffwort oder ſonſt vndienſtliche vnd vnnütze Reden im Gericht/vor Cammerrichter/Præſidenten/den verordneten Aſſeſſorn/der Cantzley/vnd Prothonotarien/vermeyden/vnd niemands weder Mündtlich (hæc verba ad Procuratorem referenda ſunt) noch Schrifftlich (hæc de Aduocatis accipienda) ſchumpffiren/ſonder ſeine Sach düchtig/kürtzlich/vnd mit dienſtlichen Worten oder in Schrifften vortragen/ hactenus verba ordinationis. Et hîc conſentit quoq; Churfürſtlicher Pfaltz Hofgerichtsordnung/ *tit. 6. §.* Es ſollen auch/8. quæ dicit: Es ſollen auch die Advocaten die Sachen nit gefährlich vffziehen/ſondern in præfixo termino zuhandeln jederzeit gefaſt ſeyn/vnnd derwegen vergebliche Vffſchub vnd Dilationes, zu verlängerung der Sachen/keines wegs ſuchen noch begeren/auch ſich alles vndienſtlichen einſtrewens gäntzlich enthalten. Atq; hinc factum eſt, quod Aduocatorum ſcripta non tam ex mole, & multitudine ſiue pluralitate foliorum, quam induſtria & diligentia autoris æſtimari & taxari *à* iudice debeant, velut in ordinat. Cameræ *par. 1. tit. 46. §.* damit auch. expreſſe ſtatutum legimus, & docet Denaiſ. *tit. 244. §. 2.* Et hæc de ſecundo obſeruato. Tertium eſt, de conuitijs, quæ paſſim & dicere & audire ſine diſcrimine licitũ fuiſſe Aduocatis videri poteſt. Quòd & alij videntur innuere. Nam & Columella aduocationem caninum

minum vocat ſtudium, quaſi Aduocati quemuis allatrandi ſtudio ducerentur; velut Tyraquel. loco citato refert. Et alibi vocantur rabulæ forenſes, à rabie ſcilicet, quaſi canum inſtar rabie & furore correpti, quemuis obuium inuadere, & conuitiis atque maledictis lacerare non vererentur, Sidon. Apollin. *lib. 4. Epiſt. ad Claud.* Cic. *lib. 1. de Orator.* Tyraq. *d. loco.* Et hoc quidem conuitiandi ſtudium frequentiſſimum olim fuiſſe, ex Cicerone, Tacito, Apuleio, Marcellino, Caſſiodoro, & alijs annotauit nobiliſſimus Marquard. Freher. *lib. 3. de exiſtim. cap. 13. nu 4.* ad quem lectorem remitto, cum

—— *dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.*

Verùm nos ex iure aliud edocti ſumus, ſcimusque licere quidem Aduocato conuitijs vti, ſed quatenus cauſæ poſcit vtilitas, & abſque iniuriandi animo fit. Ita namque Valentin. & Valens Impp. Ante omnia, aiunt, autem vniuerſi Aduocati ita præbeant patrocinia iurgantibus, vt non vltra, quam litium poſcit vtilitas, in licentiam conuitiandi, & maledicendi temeritatem prorumpant, agant, quod cauſa deſiderat, temperent ſe ab iniuria. Nam ſi quis adeò procax fuerit, vt non ratione, ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ſuæ imminutionem patietur. Nec enim conniuentia commodanda eſt, vt quiſquam negotio derelicto, in aduerſarij contumeliam aut palam pergat, aut ſubdolè. hactenus verba text. Vnde & iniuriarum tenetur, qui calumnijs & conuitijs in iudicio vtitur. Oldrad. *conſil 53.* Roman. *conſ. 96.* Ioan. Pet. Surd. *deciſ.* Mantuan. *89. num. 25. & ſeqq. lib. 1.* ſed de hac ipſa quæſtione, an videlicet & quatenus licitum ſit vti conuitijs, inferius ſuo loco latius tractabitur.

CAPVT VI.

Tertium & quartum argumentum aduerſus Aduocationis laudem.

ET hæc quidem ex loco Plinij ſupra citato obiter hîc annotare placuit. Nunc autem, vnde digreſſa eſt, referat ſe oratio noſtra, ad eleuandam aduocationis noſtræ autoritatem pro tertio argumento exiguitatem & vilitatem mercedis cauſidicorum cauſantur. Proferunt varia variorum teſtimonia, quale illud Iuuenalis *Satyra 7.*

—— Hinc centum patrimonia cauſidicorum
Parte alia ſolum rus Siſapone lacertæ:

Quaſi dicat, centum cauſidicorum patrimonia tantundem valent, quantum exiguum prædiolum, non in Italia quidem regione exculta & florida ſitum, ſed in Siſapone prouincia & regione longinqua, abiecta & inculta. Item allegant illud Martialis *lib. 1. Epigram. 126.* quo Sabellum cauſidicum deridet:

Saturnalia diuitem Sabellum
Fecerunt, merito tumet Sabellus:
Nec quemquam putat eſſe, prædicatq́;
Inter cauſidicos beatiorem.
Hos faſtus animoſq́; dat Sabello
Farris ſemodius, fabaq́; freſa,
Et thuris piperiſq́; tres ſelibræ,
Et lucanica ventre cum faliſco,
Et nigri Syra defruti lagena,
Et ficus lybicæ gelata teſta,
Cum bulbis, cochleiſq́; caſeoq́;,
Piceno quoq́; venit à cliente
Parcæ ciſtulæ non capax oliuæ,

Et

Et craſſo figuli polita cæno
Septenaria ſyntheſis Sagunti,
Hiſpanæ luteum rota toreuma,
Et lato variata mappa clauo,
Saturnalia fructuoſiora
Annis non habuit decem Sabellus.

Plura in hanc rem, qui volet, videre poterit apud Tiraquell. *d. cap.29.nu.4.& ſeqq.* vbi conſimilia à Plinio, Apuleio, Plauto & Ouidio ſcripta habentur. At ex iure notum eſt, viliſſimum, abiectum & degenerem reputari, qui vili pretio & turpi compendio ſtipeq́ deformi (velut textus *in l.quiſquis,6.§.5.C.de poſtuland.* loquitur) operam ſuam alijs addicit. Quarto tandem & vltimo loco varia proferunt ſcommata & dicteria in vituperium aduocationis noſtrę à varijs variè conficta. Velut quod Columella in præfat. dicit, ſine cauſidicis olim ſatis fælices fuiſſe, futurasq́ etiamnum eſſe vrbes. Et illud Anacharſis Scythæ apud Laërtium dicentis, huiuſmodi forum eſſe locum deſtinatum ad fallēdum inuicem, atq; ad dādas auaritiæ manus. Sicut & Plutarchi illud, dicentis, forum eſſe regionem impiorum. Et quod Sidonius Apollinaris, vt & M. Cicero, Aduocatos vocant rabulas forenſes, à rabie ſcilicet & furore canino, quod & ſupra annotatum eſt. Et quod Seneca inquit, Iuridicos velut canes acerrimos, non niſi oblato cibo, manſueſcere. Quodq; Nonius Marcellinus caninam vocat Aduocatorum facundiam. Et Hieron. Lyncibus atq; Leonibus crudeliores Aduocatos appellat. Vt & Apuleius, qui cauſidicos appellitat viliſſima capita, forenſia pecora, & togatos vultures, de quibus omnibus, vt & alijs ſimilibus late agit Tyraquel. *d. cap.29.num.7.& ſeqq.* Et hæc ſunt, quæ in contrarium proferuntur, quibusque Antagoniſtæ Aduocato noſtro magnam eſſe inuſtam maculam ſibi perſuaſum habent.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Reſponſio ſeu refutatio argumentorum modo allatorum.

VERVM enimuerò ſi rem altius conſideres, vana hæc omnia & nullius momenti apparebunt eſſe. Præterquam enim quod ex ſupra in laudem Aduocationis adductis rationibus & argumentis abundè cõſtat, maximam eſſe illius tum vtilitatem, tum neceſſitatem, vt & dignitatem atque honorem ſummum; hoc etiam in confeſſo eſt, primum Antagoniſtarum argumentum ita comparatum eſſe, vt nullo negotio ſubuerti & deſtrui poſſit. Quamuis enim Tyraquellus *d. cap. vigeſimonono, numero decimoſexto*, exiſtimet nihil eſſe, quod huic obiectioni reſpondeamus, quam vt fateamur, patrocinari non quidem eſſe dignitatis, ſed tamen non propterea aduerſari dignitati; neque enim confeſtim contra dignitatem eſſe, quidquid dignitatis non eſt, cum multa ſint communia dignitatis & non dignitatis, velut bibere, comedere, ludere, iocari, & ſimilia id genus; quæ ſi feceris, non propterea dignitatem te aſſequi, nec item dignitatem, ſi quam habes, amittere, &c. hæc inquam, licet Tyraquellus ita ſcribat; Ego tamen ſimpliciter ad dictam obiectionem primam ita reſpõderi poſſe arbitror, vt dicamus, conceſſum eſſe libertis pro alijs poſtulare propterea, quod prætor eos ſolum *à* poſtulando repellit, qui infamia aliqua notati ſunt, vel alijs de cauſis prohibiti. *tot. titu. ff. & Cod. de poſtuland.* & ibid. DD. commun. in quorum numero cum liberti non reperirentur, nulla ſanè cauſa fuit, cur poſtulationibus ipſis interdiceretur. Nec tamen inde ſequitur, aut inferre licet Aduocati officium propterea non eſſe cum dignitate coniunctum, cum *à* ſeparatis firmiter argumentari non liceat. Separata autem, imò

pror-

prorſus diuerſa ſunt, ab aduocãdo ſiue poſtulando arceri quem, & eidem non dari acceſſũ ad dignitates vel honores. Equidem enim & ad poſtulandum admittitur, cui tamen ad honores vel dignitates alias acceſſus non eſt. *d.l.1.§ vlt. ff. de poſtuland iuncta l.1.C.ad l.Viſcell.* Et econtra honoribus omnibus & dignitatibus etiam ſummis atque maximis quis poteſt defungi; cui tamen aduocationibus interdictum eſt. *argumento l. ex ea*, vbi gloſſ. & Doct. *ff. de poſtuland.* Nam ad aduocationem quod attinet (vt ad libertum noſtrum reueniamus) prætori olim id erat vnicè propoſitum, ne quis infamis, aut alias ob ætatem, ſexum, aliúmve defectum impeditus, id muneris ſubiret. quorum quidem impedimentorum cum in libertis nullum appareret, æquiſſimè ſane non modo prætor, ſed & poſtmodum Imp. Alexander peculiari reſcripto admiſit, modo ita ſint literis eruditi, vt patrocinia deſiderantibus præſtare poſſint. *l. 2. C. de poſtuland.* Longè autem alia eaque diuerſiſſima ratio eſt cum oppoſita lege Viſellia ſiue Viſcellia, quippe quæ libertos ante impetratum ius annulorum aureorum ad publicos honores & dignitates, QVÆ INGENVORVM SVNT (notanda hæc verba) non propterea non admittit, quod illi prorſus incapaces ſint dignitatum omnium, ſed quod in ſpecie illius legis Viſcelliæ ſpecialiter INGENVI requirantur, quales verò ante impetratum ius aureorum annulorum vel reſtitutionem natalium Libertini non ſunt: vt ita merito ſane illi earum dignitatum atque honorum participes non fiant, qui SOLIS INGENVIS demandari erant ſoliti. Quod ipſum vel Decurionatus exemplo euinci ſatis ſuperque poteſt; quippe Imperatores Diocletianus & Maximinus reſcribunt: Si libertus vel ius aureorum annulorum adeptus non eſt, vel Natalibus ſuis non eſt reſtitutus, Præſes prouinciæ non tantum Curiæ participare non permittet, ſed iuxta Legis (Viſcelliæ ſcilicet) ſeueritatem congruenti pœna

vlciſcatur.

Digitized by Google

vlciſcatur. *l. 1. C. ſi ſeru. aut libert. ad decurion. adſpir.* Atq; libertinorum filij in ordinem decurionum recipiuntur, velut Cuiac. *in d. l. 1.* notat. Imò quod plus eſt, idem & in ſenatu maximo obtinet, quemadmodum Valentin. Valens, & Gratian. AAA. expreſſis verbis reſcribunt, dum aiunt: Libertorum filios adipiſci clariſſimam dignitatem non prohibemus. *l. 9. C. de dignitat.* Cur ita? Quia ſcilicet libertinorum filij INGENVI ſunt. *princip. de ſtitut. de ingen. l. 5. ff. de ſtatu homin.* at libertini ipſi INGENVI NON SVNT. §. 5. *Inſtitut. de iure perſonar.* Lex autem hoc in caſu in ſpecie requirit INGENVOS, quod prætor in edicto de poſtulando non facit. Et ex hac quidem diſtinctione atq; differentia vtriuſque legis primam obiectionem ſufficienter dilutam exiſtimo. Secundam verò quod attinet, ea ſanè haud meretur reſponſionem. Licet namque fuerint quidam, qui in contemptum atque vituperium aduocationis cauſarum agendarum & patrocinandi ſtudium remiſerint, velut de Hortenſio & Plinio relatum eſt; attamen illi ſuo hocce facto in tantum materiæ noſtræ autoritatem labefactare non potuerunt, cum exempla habeamus ea plura profectò atq; magis conſpicua virorum vel in ſumma dignitate conſtitutorum, qui ne minimum ſibi putarunt detractum, quod etiam poſt ſuſceptas dignitates clariſſimas aduocationis munere fungerentur; vt magis noſtram ſententiam ſuo videantur etiam communire exemplo, quod multis annis patrocinati fuerint, & tandem, cum viſum ita ſit placueritque, id depoſuerint officium. Eſt namq; facultatis atq; voluntatis liberæ aduocati munus & officium deponere cum velis. Vt hîc non dicam Hortenſium atque Plinium non eam ob cauſam abſtinuiſſe cauſis agendis, quod obiectum putauerint & vile munus ipſius aduocationis, (nam hac ratione nec ante ſuſceptas dignitates ſummas atq; clariſſimas eo fuiſſent defuncti) ſed quoniam alter videbat ex conſularibus neminem eſſe ſecum comparandum,

Digitized by Google

dum, atque ita negligebat eos, qui conſules non fuiſſent: Alter verò, quod maluerit eſſe tribunus omnibus, quam paucis aduocatus. velut ex Cicerone Tyraquellus *d. loco* notat.

Nec porrò verum eſt, quod tertio loco de exiguitate & vilitate pretij atq; mercedis cauſidicorum opponũt; cum conſtet, quæſtuoſiſſimum plærumq; fuiſſe, & etiamnum hodie eſſe cauſas in foro agere, quod teſtimonio Martialis probat Tyraquel. *d. loco. n. 20.* & patet ex verſiculo illo vulgaris:

Dat Galenus opes & ſanctio Iuſtiniani.

Tandem deniq; ſcommata & dicteria ſuperius prolata in tantum non detrahunt aduocationi noſtræ, vt vel magis conſpicuam eam reddant, cum omnia ea, quæ ibidem dicta ſunt, non de vero & bono aduocato, qualem vos hîc fingimus & deſcribimus, ſed de rabulis forenſibus, qui neq; fas neq; ius nouerunt vel attendunt, quiq; cum bono noſtro Aduocato ne minimum quidem participant, abs Doctoribus proferantur. Deſtructis itaque atq; refutatis iis, quæ Aduocato noſtro obſtare videbantur, ſalua manent ea, quæ in laudem atque commendationem eiuſdem à me ſuperius ſunt diſputata. Vnde proſcenio relicto ad id, cuius gratia hæc præfati ſumus propius accedendo, facilioris doctrinæ gratia de quatuor hiſce Capitibus tractabimus.

I. *Quis ſit & dicatur Aduocatus, & quid à Procuratore aliisq; ſimilibus differat?*

II. *Qui poſſint eſſe Aduocati, quiq; ab eo munere repellantur & reÿciantur?*

III. *Quodnam ſit ipſius Aduocati officium, & quibus ille ornatus virtutibus, quibusq; inſtructus artibus atque diſciplinis eſſe debeat?*

IV. *Quæ præmia quóſve honores ac priuilegia conſequatur Aduocatus noſter?*

E *CAPVT*

CAPVT VIII.

Etymologia atque definitio Aduocationis.

PRIVSQVAM autem de quatuor propoſitis capitibus dicam, notationem ſiue etymologiam verbi explicabo paucis. Nam & Vlpianus alibi, Iuri, inquit, operam daturũ prius noſſe oportet, vnde nomen iuris deſcendat. *l. 1. in princ. ff. de iuſt. & iur.* Vera ſiquidem iuris diſcendi, vt & alterius cuiuſuis diſciplinæ ratio eſt, vt à Notatione & Etymologia rerum incipiamus, quæ profectò rei propoſitæ vim aperit & non mediocriter illuſtrat. *l. 2. §. appellata.* vbi Doct. *ff ſi cert. pet. l. 1.* & ibid. Doct. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* vſumque habet neceſſarium, quoties res, de qua quæritur, interpretatione eget. Quintil. *lib. 1. Inſtitut. orator.* Ioan. Coraſ. *in d. l. 1. num. 1. & 2 ff. de iuſtit. & iur.* Eberhard. *in loc. legal.* ſub loco ab Etymologia, & plura in hanc rem affert Rutger. Ruland. de commiſſar. & commiſſion. *part. 1. lib. 1. cap. 2.* Eſt autem dicta Aduocatio, ab ad & voco, ſiue à verbo aduoco. Nam Aduocatum eum dicimus eſſe, qui aduocatus eſt, hoc eſt, vocatus accerſitus ſeu rogatus, vt læſo clientulo opem ferat, & cauſam in iudicio defendat. Ita eleganter Cuiacius in paratit. *C. de aduocat. diuerſ. iud.* aduocamus, ait, patronum vt agat litem noſtram; inuocamus iudicem; vocamus aduerſarium; euocamus teſtem. Ita ſcilicet hæc in iure diſtinguenda verba ſunt, hactenus ille. Alio ſenſu Hermogenianus ICtus. *in l. falſi. 20. ff. ad leg. Cornel. de falſ.* Falſi, ait, pœna coercetur, & qui ad litem inſtruendam aduocatione teſtibus pecuniam acceperunt. quo in loco aduocatio accipitur pro eo cœtu hominum, qui ad dicendum in iudicio teſtimonium, & vt cauſæ adſit dictis opitulaturus, aduocatum, Velut Weſembec. in Paratit. *ff. eod. tit. num. 5.* explicat.

plicat. quamuis gloſſa ibidem in verbo: Falſi. & verbo: teſtibus; diſtinguat duo verba, aduocatione, & teſtibus; & primum de patrocinatione exaudiat; aliter videlicet, quam Weſembeccius ſenſu legis illius explicans. Et cauſas ad ſe aduocare dicitur iudex ſuperior, quando ab inferiore iudice auocat. Velut Petr. Iacob. Aurel. in ſua practica, *tit. de condict ex lege, quæ orit. ex lit. oblig.* notat. Porrò definitur Aduocatus, qui cauſis agendis quoquo ſtudio operatur, velut Donellus notat *in l. 1. num. 9. C. mandat.* vel qui in iudicio pro alijs poſtulat. *l. 1. ff de poſtulan. l. quiſquis. C. de aduocat. diuerſ. iud.* Qui patrocinium deſiderantibus præſtat. *l. 2. C. de poſtuland.* Qui negotium ſuſcipit tuendum. *l. 5. C. de poſtuland.* Qui præbet patrocinia iurgantibus. *l. 6. in princ. C. eod.* Qui parti patrocinium præſtat. *l. 7. & 8. C. eo. tit.* Qui cauſas apud iudicem agit. *l. 6. C. de aduoc. diuerſ. iudic.* Qui in iudicijs cauſarum patrocinium profitetur. *l. 9. C. eo. tit.* Qui pro ſe vel pro alijs patrocinium adhibet. *l. 13. C. eod* Qui dirimit ambigua cauſarum fata, &c. *l. 14. C. eod.* Qui negotijs aſſiſtit, *l. vnica, C. vt quæ deſunt aduocat.* Qui parti ſuum præſtat auxilium, *l. rem non nouam, 14. §. patroni, C. de iudic.* Qui liti patrocinatur. *d. l. patroni.* Qui quod verum & iuſtum exiſtimat, clientibus ſuis infert. *d. l. 14. §. patroni.* Ex quibus quidem varijs deſcriptionibus Aduocatus in hunc modum definiri poteſt: Quod ſit vis graui autoritate & exiſtimatione præditus, qui propter excellentem iuris cognitionem, prudētiam, eloquentiam, & rerum multarum vſum, in negotijs grauibus & arduis, præſertim in cauſis forenſibus agendis vel defendendis patrocinium litigantibus præbet, idq; plærumque ſcriptis pro alio poſtulando vel alteri contradicendo. Ita Aduocatum definit Emeric. à Roſbach *in proceſſ. iud. tit. 18. nu. 1.*

CAPVT IX.

Differentiæ inter Aduocatum & Procuratorem.

DIFFERT autem à Procuratore Aduocatus multifariam. Primò quidem in eo, quod officium Aduocati & honeſtatis & dignitatis ſplendore coruſcat, & non minus eſt vitæ humanæ neceſſarium, quam ipſa militia armata. adeò quidem, vt & infamis de iure ciuili poſſit eſſe Procurator. Gail. *d. loc.* quamuis in Aduocato ſecus ſit. *l. 1. & paſſim tot. tit. ff de poſtuland.* Verùm hæc prima differentia hodie nō habet locum; cum noſtris temporibus non minus honorificum ſit officium ipſius Procuratoris, & eius porrò conditio plærumq; pinguior & vberior, quam Aduocati. Et hoc præſertim in ſupremis illis Principum Conſiſtorijs atq; Parlamentis; velut de Procuratoribus Cameræ Imperialis, eorumq; honore & dignitate atteſtatus Gail. Minſyng. & Denaiſ. Idq; tum ratione perſonarum ipſarum; tum quoq; loci: & hâc quidem, quia Camera ſummum eſt ſummi Principis Conſiſtorium: Illa verò, quia nemo in Camera recipitur in numerum Procuratorum, niſi Doctor ſit, vel Licentiatus. Et in alijs bene conſtitutis Iudicijs idem vbiuis ſeruari, ne ſcilicet infamis poſſit eſſe Procurator. Gail. *d. obſeru. 43.* atteſtatur.

Altera differentia eſt, quod Aduocatus cogi *à* Iudice poteſt ad ſuſcipiendas cauſas. *l. 1. §. ait prætor. iuncta gloſſ. in verb. non habebunt ff. de poſtul. l. prouidendum. §. 1. C. eod. c. 1. Ext. de offic. iud.* vbi gl. *in verb. implorando.* Felin. *ibid. nu. 2.* idem Felin. *in c. ſi pro debilitate, n. 9 Extr. de offic. deleg.* vbi idem & in delegato iudice obtinere dicit, quod & And. Gail. *d. obſeru. 43. nu. 1. obſeruauit tex. ſingul. in l. nec quicquam. 9. §. aduocatos, 5. ff. de offic procon ſ.* Iaſ. *in l. 1. C. de procur.* refert Gail. *d. n. 1.* Mynſing. Cent. *4. obſeru. 32. in princ.* Ioan. Siehard. *in l. in-*

in l inuitus.nu.2. C.de procurat. vbi hoc extendit ad quemuis alium Doctorem, quod ad conſulendum etiam inuitus cogi poſſit. cui & Philip. Dec. accedit, *in l.inuitus.nu.6.ff. de reg iur.* per gloſſ. *in l. 2. verb. conſenſum. C. de prox ſacr. ſcrin. lib.12.* & ibi Bart. *l.ſancimus. C. de aduocat. diuerſ. iudic.* vbi Salic. Barto. *in l.proximè. in princ. ff. de his quæ in teſtam. delent.* Anton. de Butr. *in d.cap. ſi pro debilitate.* confer Rutger. Ruland. *de commiſſar & commiſſion part.1. lib.2. cap.25. nu. 12.* Et Philip. Matthæus Præceptor meus in Academia Marpurgenſi *in d l.inuitus. ff. de R. I. nu.6.* dicit, receptum eſſe in Doctore Iuris, vt ex debito ſuæ profeſſionis vnicuiq; iura aperire, adeoq; inuitus conſulere teneatur. per traditum Iaſon. *in l.3. nu. 13. C. de procurator.* Atque hæc quidem in cauſis pauperum litigantium, eorumq; quibus ab aduerſarij potentiam aduocatum inuenire & habere difficile eſt, quotidie ferè practicantur. Gail. *d. obſeru. 43. nu.1. in fin.* Mynſing. *d. obſ.32. in prin.* Sichard. *in d. l. inuitus.* velut de ſupremo Romani Imperij iudicio teſtatur Emer. à Roſbach. *in proceſ. iudic. tit.18. n.12.* Et ipſa verba ordinationis Cameræ Imp. *part.1. tit. 19* §. Auff daß auch/ꝛc. clara ſunt, & ita ſonant: Auff daß auch niemands Armuth halben rechtloß gelaſſen werde/ ſo ſoll der Cammer Richter/ ſo zu zeiten ſeyn wird/ die Sachen deß Armen/ die jhrer Armuth vrkund vnd anzeig bringen / vnd ein Eyd der Armut/ in maſſen wie voran geſetzet/ erſtatten / den Advocaten vnnd Procuratorn/ jhnen darinn zurathen / vnnd zum beſten im Rechten fürzubringen/ befehlen. Vnd welchem Advocaten oder Procuratoren alſo ſolche Sachen befohlen werden / der ſoll ſchuldig vnd pflichtig ſeyn/ bey der Peen/ entſetzung ſeines Ampts / die ohne Widerrede anzunehmen/ vnd nit mit wenigerm fleiß / dann anderer ſeiner Partheyen Sachen zuhandeln vnd fürzubringen / dieſelbigen auch keinem andern Procuratorn zuübergeben oder auffzuhencken. Doch ſollen ſolche der Armen Parteyen Sachen vnter die Advocaten vnd Procuratores zugleich getheilt / vnnd in denſelben ſolche Ordnung

Digitized by Google

fürgenommen vnd gehalten werden / daß keiner vor dem andern mit denſelben beſchwert werde. hactenus vorba ordinationis. Et verò ad pauperes quod attinet, gratis inſuper Aduocatus ijs cogitur patrocinari notat Iacob. Menoch. *de arbit. iud. quæſt. lib. 2. cent. 4. caſu 369. num. 3.* poſt Didac. Couarr. & alios ibidem citatos. Roſb. *d. tit. 18. num. 12.* qui miſericordiæ & iuſtitiæ amore motum Aduocatũ hoc facere debere ait. Gail. *d. obſ. 43. nu 11. & ſeqq.* vbi hoc & ad Medicum extendit, qui ægrotum gratis curare, & præmium *à* Deo expectare debet. per notat. Spec. *tit. de ſacr. aduoc. n. 7.* ſic Doctor iuris compelli poteſt gratis inſeruire pauperi. Gail. *d. loco.* vbi & alias extenſiones ponit; velut quod iudex pauperi acta gratis edere tenetur. Quod commiſſarius ad recipiendum & examinandum teſtes officium ſuum & laborem gratis pauperi impartiri debet. Vnde & Felin. *in c. 1. de offic. iudic.* dicit, iuramentum aduocatorum de non aduocando ſine ſolario, non extendi ad cauſas & perſonas pauperum, per not. ibid. confer ea quæ Mago. *de rect. patron. rat. cap. 10. par. 2.* late ſcribit. & *cap. 59. par. 2.* vbi late ponit, an & quibus caſibus Aduocatus miſerabilibus perſonis gratuitum patrocinium præſtare cogatur, & quænam ſint perſonæ miſerabiles. Sunt tamen hæc de iis exaudienda & intelligenda pauperibus, qui extrema paupertate laborant, & paupertatis iuramentum præſtant. Gail. *d. obſ. 43. n. 18. ordin. cam. d. tit. 19. §.* Auff daß auch / *ibi.* Die Sachen der Armen / die jhrer Armut vrkund vnd anzeig bringen / vnd den Eyd der Armuth erſtatten. Quos rectius & magis latinè inopes vocaueris. Differunt namq; INOPS & PAVPER in eo, quod inops dicitur, qui extrema paupertate laborat, & planè nihil in bonis habet; pauper verò is vocatur, qui parum habet. Surd deciſ. Mantua. *61. num. 10. lib. 1.* poſt Archidiac. *in c. qua iura. 8. diſtinct.* Caſtrenſ. *in l. id quod pauperibus, C. de epiſcop. & cleric.* Socin. *conſ. 30. nu. 6. & conſ. 121. nu. 45. vol. 4.* Et pauperem dici, qui non poteſt ſecũdum conditionem ſuam viuere,

Digitized by Google

uere, Bald. *in l. ſi quis ad declinandum, num. 5. C. de epiſc. & cler.* Iaſon *in l. ſi conſtante, num. 146 & 151. ff. ſolut. matrim.* Natta *conſil. 590. nu. 14.* Maſcard. de probat. *concluſ. 1154. numero 14.* Quique in bonis habet ſolum mille, Bartol. *in d. l. ſi conſtante, numero 14.* Surd. *d. deciſ. 61. nume. 3. & 5.* dicit. Rectius tamen iſta iudicis arbitrio committuntur, *Surd d. deciſ. 61. nu. 4.* Quid autem iuris, ſi ad pinguiorem fortunam pauper peruenerit, fortè ſi in cauſa obtinuerit, victorque euaſerit? Certè refundere eo in caſu ſumptus neceſſarios teneri, ex Gailio diſcimus, *d. obſeruat. 43. numero 19.* Ne videlicet cum aliena iactura fiat locupletior, contra quam iure prouiſum eſt, *l. naturæ, ff. de regulis iur.* Et hæc de pauperibus, quibus vti dictum eſt, non ſolum inſeruire, ſed vt gratis inſeruire cogitur aduocatum. Cæteris verò patrocinari quidem tenetur, etiam inuitus, ſed hoc non aliter, quam congruo ſolario & ſtipendio ſumminiſtrato, velut poſt Fulgoſ. Bald. Socin. & Paul. de Caſtro *in d. l. inuitus, C. de procurator.* notauit Didac. Couarr. *lib. 3. variarum reſolut. cap. 14. numero 1. verſ. quibus expreſſim.* Roſb. *d. titu. 18. num. 11. ibi:* ſumptibus tamen petentium, *per l. 4. §. fin. in verbo, tuis ſumptibus, ff. de edendo.* Pœna autem aduocati hac in parte non parentis eſt officij priuatio, Gail. *d. obſer. 43. nu. 3. in fin.* Minſyng. *d. obſeruat. 32.* Ruland. *d. cap. 25. num. 12.* Roſbach. *d. n. 11.* Did. Couar *d. cap. 14. n. 1. verſ. quibus,* vbi hanc pœnam temporalem eſſe dicit, non perpetuam; idq; autoritate textus *in l. prouidendum, 7. verſ. ſi quis verò, C. de poſtul.* qui quidẽ textus non id probat, quod Couarruuias vult, ſed plane cõtrarium. Verba textus ſunt: Si quis verò monitus *à* iudice, ea excuſatione, quę nequeat comprobari, cuicunq; parti patrocinium denegauerit, careat foro: ſciat etiam nunquam ſibi ad agendum copiam poſſe reſtitui, hæc textus verba ſunt. Vnde certè manifeſtò liquet, interdictionem hoc in caſu non temporalem, ſed perpetuam eſſe; idq; virtute & vi verborum; ſciat etiam nunquam ſibi ad agendum copiam

Digitized by Google

copiam poſſe reſtitui. vbi gloſſ. *in verb. nunquam*. Nunquam, ait, id eſt, nullo tempore & nullo loco. Vt taceam, textum hūc non aduocationibus, ſed foro interdicere Aduocato non parenti: ibi: careat foro. Notum autem ex iure eſt, Plus eſſe foro interdicere, quam aduocationibus. Quandoquidem cui foro eſt interdictum, huic omninò ſeſe forenſibus negotijs in poſterum accommodare non permittitur. vt hîc. & tex eſt apertus & clarus, *in l. moris. 9. §. nonnunquam. 4. ff. de pœnis*. vbi Vlpian. ait: Nonnunquam non aduocationibus interdicitur, ſed foro. Plus eſt autem foro, quam aduocationibus interdicere. Siquidem huic omninò forenſibus negotijs accommodare ſe non permittitur. hactenus verba text. & notant ibid. omnes, velut gloſſ. *in verb. huic*. Nobiliſs. dn. Dionyſ. Godofred. *in not. lit. L*. Atque huc quidem etiam Gail. *d. obſ. 43. nu. 12*. mihi videtur reſpexiſſe, cum ait: Remoueri ab officio non eſſe leuem pœnam. Quod ipſum & Nobiliſſ. atque Magnificus Marquardus Freherus patronus meus colendus, de exiſtimatione, *lib. 3. cap. 26. num. 12*. haud obſcurè innuit, dum notat, Interdictionem huiuſcemodi tunc eſſe perpetuum, & aduocatum omni poſtulandi facultate apud omnia tribunalia priuare, ſi ex cauſa famoſa deſcendat, qualis cauſa ſit, ſi conuitijs vſus fuerit in aduerſarium: ſi præuaricatus: ſi pactus de quota litis: ſi falſis excuſationibus patrocinium denegarit: velut citato loco videre licet. Siquidem Aduocatus iuſſus à iudice parti adeſſe, ſi caluis excuſationibus vſus ſubterfugiat, infamia notatur. velut idem dn. Freher. *d. lib. 3. cap. 13. nu. 1*. docet. Quo in loco ſimiliter monet, hanc interdictionem noſtro in caſu eſſe perpetuam, cum ait: Niſi iudici obtemperet, ſed iuſſum eius tergiuerſando eludat, foro perpetuo moueatur, & aduocationibus ei interdicatur, vt nunquam ad agendum copia ei reſtituatur. hæc ille. Non laruū tamen hac in parte hodie iudicis arbitrium eſſe conuincunt ea, quæ Iac. Menoch. *d. conſil. 369*. affert; quibus

cum

Digitized by Google

cum conferri poteſt ordinat. Cameræ *part. 1. tit. 52.* Nam & mulctam pecuniariam aduocato non parenti iudex indicit. Gail. *d. obſeru. 43. nu. 11.* Roſbach. *d. tit. 18. nu.* 11. Qui tamen prouidus eſſe debet in concipienda ſententia declaratoria, vt verba talem in modum concipiat, quæ perſpicuum eius ſenſum reddere poſſint; aliàs in dubio ſtabiliunt regulæ, per notat. *à* Philippo Matt. *in l. 1. nu. 33. ff. de R. I.* Et in terminis noſtris ita dicit Petrus de Vnzola *in cap. 9 Extr. de iudic.* Quod ſi, aiens, iudex aduocatum ab officio ſimpliciter repellat, videtur in perpetuum prohibuiſſe, *per l & ideo. vbi Accurſ. ff. de verb. oblig.* Poteſt tamen aduocatus, ſi quas ſe habere putat, iuſtas excuſationes in tempore proponere, ac deinde probare, *arg l prouidendum, ibi: quæ nequeat comprobari, C. de poſtul.* vbi DD. Bald. *in l. humanitatis, C. de excuſat. tut.* Mynſ. *d. obſ. 32. in fin.* Gail. *d. obſer. 43. num. 3. & 9.* Roſbach. *d. nu. 11.* Philip. Matth. *in l. inuitus, nu. 3. ff. de R. I.* Iuſtæ autem & à prætore comprobatæ excuſationis cauſæ habentur, ſi Aduocatus inimicitias capitales cum cliente habeat, *l. 8. §. 3. verſ. verum ex cauſa. ff. de procurat.* ſi reipub. cauſa obfuturus ſit, *d l. 8. §. fin.* ſi aduerſa valetudine prematur, *l. 9. ff. eod.* ſi neceſſariam alleget peregrinationem, *d l. 9. l. 23. l. 44 ff. eod.* ſi grandæuus ſit ſenex, *l. 17. ff. eod.* ſi aliæ fuerint iuſtæ excuſationis cauſæ, de quibus *in l. 18. cum ſeqq. aliquot ff. de procurat.* Quibus ex ordinatione Cameræ addo & hanc, ſi pluralitate & multitudine cauſarum diſtineatur. Ordinat. Cam. *part. 1. tit. 19. verſ.* Dergleichen. Pet. Denaiſ. in iure Cam. *tit. 234. §. 3. & 4.* Procurator autem inuitus mandatum ſuſcipere & patrocinari non cogitur, *d l. inuitus, C. de procurat.* Gail. *d. obſ. 43. n. 2.* Minſyng. *d. obſeru. 32.* ibi: *licet in procuratore.* Cuius quidem differentiæ ratio in eo poſita eſt, quod officium aduocati publicum eſt & neceſſarium, ideoque ad id ſubeundum etiam inuitus cogi poteſt. *tot. tit. ff. de muner. & honor. l. penult. §. qui autem, ff. de vacat. & excuſat. muner. l. ſancimus, 6. C. de aduoc. diuerſ. iudic.* Gail. *d. obſer. 43.*

Digitized by Google

nu.3. Mynſ. *d. obſeru.32.* Philip. Matth. *in d.l. inuitus. ff. de R.I.* Nam in genere verum eſt, quando munus eſt autoritate & vtilitate publicum, vel quando eſt autoritate publicum, & vtilitate priuatum, tunc ſemper quis ad id ſuſcipiendum cogi poteſt. Sich. *in d.l. inuitus.17 nu.2. C. de procur.* Procuratoris autem officium & autoritate & vtilitate eſt priuatum. Sichard. *d. nu. 2.* vbi & aliam affert rationem huius diuerſitatis, quod ſcilicet cum procuratore, quando mandatum ſuſcipit, contrahitur, ita vt ſi minus recte atque fideliter munus adminiſtret, ex illo contractu teneatur actione mandati ad omne intereſſe: ſed inuitus nemo, vt contrahat, cogi poteſt. *l. in commodato. §. ſicut. ff. commodat. l. nec emere. C. de iur. delib. l. inuitum. C. de contrah. empt. l. quamuis. ff. de pignorat. actio.* Sunt enim contractus ab initio voluntatis. *l. ab initio. C. de nupt. l. ſicut. ff. de oblig. & action.* Quod ſecus eſt in aduocato, quippe qui nec obligatur ex proceſſu cauſæ, nec cum eodem fundatur iudicium, nec damnum ille timet, cum ſe in aliquo non obligarit. gloſſ. *in l. 1. in verb. compleuit. ff. de poſtuland.* Et hanc rationem quoque ponit Gail. *d. obſeru.43. num.5. verſ. praterea.* & Roſbach. *tit.19. n.40. in fin.* Verum nec ſecunda hæc differentia vſu hodie attenditur. Conſtat tamq; ex Ordin. Cameræ, in loco ſupra citato, Procuratores æquè ad ſuſcipiendas & defendendas cauſas tam pauperum quam aliorum cogi, atque ipſi coguntur aduocati. Quod & in alijs iudicijs obtinere Gailius teſtatur *d. obſeruat. 43. numero 8.* cui accedit Philippus Matthæus *in d.l. inuitus. numero 4. ff. de regulis iuris.* Quod tamen de ordinarijs Aduocatis atque Procuratoribus eſt exaudiendum, hoc eſt, de ijs, qui in iudicijs Aduocatorum & Procuratorum ordini & albo adſcripti publice ſunt, & iuramentum præſtiterunt, velut ex ordin. Camer. d. loco, patet, & notat Matth. *d. nu. 2.* ad quod tex. eſt expreſſus *in l. ſancimus. 6. C. de aduoc. diuerſ. iud.* vbi dn. Godofred. *in not. lit. F.* ſecus verò res ſe habet quoad extraneos,

traneos, in quos iudex nullum habet iuriſdictionis exercitium. *l fin.* vbi gl. & DD. *ff. de iuriſdict.*

CAPVT X.

Differentia tertia inter Aduocatum & Procuratorem.

SED & tertia eſt inter Aduocatum & Procuratorem differentia, quod Procurator in ſingulis cauſis tenetur præſtare iuramentum calumniæ. Gail. *lib. 1. obſeruat. 83.* Georg. Obrecht. *de iurament. calumniæ. cap. 6. num 9. & ſeqq.* ab Aduocatis verò iuramentum illud non rectè exigitur. Obrecht. *d. cap. 6. numero 9. & ſeqq* Quamuis enim communiter Interpretes & Pragmatici affirment, iure ciuili etiam Aduocatum ad calumniæ iuramentum præſtandum teneri; moti tex *in l. 2. in princ. C. de iuram. propt. calumn.* vbi Iuſtinianus ait: cum & iudices non aliter cauſas dirimere conceſſerimus, niſi ſacroſanctis Euangelijs propoſitis; & patronos cauſarum in omni orbe terrarum, qui Romano imperio ſuppoſitus eſt, prius iurare, & ita proferre cauſas diſpoſuerimus, &c. & poſt interuallum ait: Et poſtea vtriuſque partis viros diſertiſſimos Aduocatos, ſecundum quod iam diſpoſitum eſt *à* nobis, iuramentum præſtare, ſacroſanctis videlicet Euangelijs, ante iudicem poſitis. hæc Iuſtinianus. Quæ quidem verba Interpretes plærique de iuramento calumniæ accipienda & intelligenda docent, cum ſub illo titulo eorum fiat mentio. velut Iohannes Sichard. *ibi nu. 3.* & Bartol. *numero 2 & 10.* quamuis ille de conſuetudine ſub tempore id non fuiſſe ſeruatum aſſerat.

Verùm non de calumniæ iuramento iſtum textum exaudiendum, ſed de alio iuramento, cuius fit mentio *in l. rem non nouam. 12. §. patroni. Cod. de iudic.* fidem nobis faciunt illa legis verba:

Secundum quod iam diſpoſitum eſt à nobis. Ad hoc iuramentum ſingulare eſt, & alia habet capita, quam iuramentum calumniæ. Iurant namq; Aduocati, non quod putent ſe iuſtæ cauſæ patrocinari, ſed quod omni ope omnique virtute ſua, QVOD VERVM ET IVSTVM PVTAVERINT ESSE, procurare, Et VBI COGNOVERINT CAVSÆ INIVSTITIAM, eam deſerere velint, *d. l. rem non nouam. §. patroni*. Obrecht. *d. cap. 6. nu. 38. & ſeqq.* Et hoc quidem iuramentum eſt, quod etiamnum hodie in Camera & alijs bene ordinatis atq; conſtitutis iudicijs aduocati, cum in numerum & claſſem aduocatorum recipiuntur & adſcribuntur, in vniuerſum SEMEL PRO SEMPER, præſtant, quodq; in ſingulis deinceps cauſis REPETITVM facilè cenſetur. Formula eius in ordin. Cam. *part. 1. tit. 62.* in hæc verba concepta eſt: Aduocati iudicij Cameræ Imperialis iurabunt, quod cauſas eorum, quorum patrocinium ſuſcipiunt, bona fide, ad ipſorum vtilitatem prudenter diligenterq; tractabunt, nullam ſiniſtram machinationem, fraudem dolúmve in ijs cõmittentes, neq; de quota litis, quam peragendam habent, paciſcendo, neq; interpoſitis callidè conuentionibus quicquam illicitè extorquendo: ſed nec ſecreta cauſarum, quæ litigantes partes ve ipſis ſunt commiſſuri, vel quæ ipſi in tractatione animaduertere poterunt, vlli hominum pandent: honorem præterea Imperialis iudicij, & eorum qui ei tribunali præſunt præſidẽdo aſſidendoque, vt par eſt, promouere, ac id omnibus modis cohoneſtare velint: Eò loci moderatè honeſtéque ſe gerentes, & ab omni intemperantia & cõuitijs, ſub pœna à iudicibus infligenda, penitus abſtinentes; ſalarium etiam atq; mercedem, ipſis iuxta huius iudicij conſtitutionem debitam, nullis pactionibus adaugebunt; & ſi controuerſia inter ipſos & litigatores ſuper mercede ſuborietur, quidquid hoc caſu à iudice, eiſque quos ex aſſeſſoribus ſibi aſſumpſerit, aut quibus hoc munus iniũxerit, fuerit decretum,

Digitized by Google

cretum, eo ſtare debebunt; quin & patrocinia, quæ ſemel ſuſceperint, ſine iuſta cauſa & venia non dimittent, ſed ad definitionem ſuſceptæ cauſæ in ijſdem perſeuerabunt, in quibus omnibus dolus malus abeſſe debebit. hactenus formula ordin. Quæ ſub *tit. 64.* in hæc verba repetitur. Die Advocaten deß Keyſerlichen Cammergerichts ſollen geloben/ vnd einen Eyd zu GOtt/ vnd auff das heilig Evangelium ſchweren / daß ſie die Partheyen/ deren Sachen ſie zu handeln annehmen/ mit gantzen vnd rechten Trewen meynen / in ſolchen Sachen nach jhrem beſten Verſtändnuß / den Partheyen zu gut mit fleiß handeln/ vnnd darinn wiſſentlich keinerley Falſch/ Gefährd/ noch Vnrecht brauchen: Auch mit den Partheyen keinerley Vorgeding oder Vorwort/ ein Theil von der Sachen/ deren ſie Advocaten ſeyn / zuwarten oder zu Worten machen/ auch Heimligkeit vnd Behelff / ſo ſie von den Parteyen empfahen/ oder vnterrichtung der Sachen / die ſie von jhm ſelbſt mercken werden/ jhren Parteyen zuſchaden niemands offenbaren/ Das Gericht vnd Gerichtsperſonen ehren/ fürdern / vnnd Erbarkeit vor Gericht brauchen/ vnd Läſterung bey Peen nach ermäſſigung deß Gerichts/ ſich enthalten: auch die Parteyen über den Sold vnd Lohn/ der jnen nach laut der Ordnung über das Cammergericht gebürt / mit mehrung oder anderm geding/ nit beſchweren oder erhöhen/ Vnd ob deß Solds oder Lohns halben zwiſchen jnen vnd den Parteyen Jrrung oder Spän entſtünden/ deſſelben bleiben bey dem Cammerrichter vñ Vrtheilern/ die er zu jhm nehmen / oder denen er das befehlen wirdt/ vnnd wie ſie durch dieſelben entſcheiden werden / daß ſie deß benügig ſeyn/ vnd es dabey bleiben laſſen / ſich auch der Sachen/ ſo ſie angenommen haben/ ohne redliche Vrſach nicht entſchlahen/ ſondern jhren Parteyen/ biß zu end deß Rechten handeln wollen/ ohne alle Geferd. Hactenus verba ordin. Cam. iuxta editionem Nicolai Ciſneri. Simile iuramentum in Dicaſterio Sereniſſimi Electoris Palatini ab Aduocatis nouis præſtatur. velut formula in der Hof

Gerichtsordnung/ *tit 13.* von der Advocaten Eyd/ *hiſce verbis conceptum docet*: Die Advocaten ſollen geloben vnd ſchweren/ zu GOTT vnd vff das heilige Euangelium/ daß ſie den Parthexen/ deren Sachen ſie vffnehmen/ in denſelben mit getrewem fleiß/ nach jrem beſten Verſtändnuß jhre notturfft vnd Gerechtigkeit ſchrifftlich vorbringen/ darinn wiſſentlich keinerley Falſch/ Vnwarheit oder gefährlicher Vffſchub/ zu verlängerung der Sachen/ ſuchen noch begeren/ noch die Parteyen ſolches zuthun vnterweiſen/ Der Parteyen Geheimnuß vnd Behelff/ ſo ſie von jhnen empfahen oder ſonſten erlernen/ jnen zu nachtheil niemands öffnen/ ſich in jhrem advociren vnd ſchreiben der Erbarkeit gebrauchen/ von den Parteyen keinen andern Sold noch Gaab fordern oder nehmen/ denn daß jhnen von vnſern Hofrichtern vnd Beyſitzern zugeben taxirt vnd verordnet wirt: auch ſich der Sachen/ ſo ſie einmal angenommen/ ohne redliche vrſachen vnd erlaubnuß vnſers Hofrichters nicht entſchlagen/ ſondern biß zu ende außwarten/ vnd ſonſt alles das thun vnd laſſen/ daß einem getrewen Advocaten gebürt/ vnd wol anſtehet/ getrewlich vnd vngefährlich. Et de iudicijs ſiue curijs Saxoniȩ idem teſtatur Matth. Weſembec. *in paratit. C. de iureiur. propt. calum. n. 6.*

CAPVT XI.

An Conſultum ſit Aduocato, vt iuramentum calumniæ ſingulis in cauſis præſtet?

QVÆRI autem hoc loco non immerito poſſit, annon conſultius & vtilius fuerit, ſi etiam hodie in ſingulis cauſis Aduocati de calumnia & malitia iurarent, quam ſi ſemel tantum iuramentum præſtarent? Mouent hanc quæſtionem Weſembec. *d. nu. 6.* & Georg. Obrecht, *d. cap. 6. nu. 44. & 45.* inq; eam partem

tem inclinant, quod conſultius & melius videatur eſſe Reipublicæ, ſi Aduocatis calumniæ & malitiæ iuramentum remittatur, ſique ſemel tantum illi ſacramentum præſtant, quam ſi in ſingulis cauſis ad id vocentur, propterea, quod multi boni viri à foro forenſibusque cauſis atque negotijs hac ratione receſſuri ſint, quod ſcilicet tot ſacramenti religionibus implicari nolint; & quod bonis viris ſemel præſtitum iuramentum ſemper obuerſetur animo; cum & è contra improbis etiam ſæpius repetitum, nunquam occurrat. hæc opinio & rationes Weſembec. & Obrecht. ſunt. Verum alij in contrariam ſecedunt ſententiam, exiſtimantes, ab Aduocatis tantò magis hocce calumniæ iuramentum eſſe exigendum, quantò ij magis norunt & poſſunt calumniari, quam partes & procuratores, & niſi coerceantur, omnibus omninò cauſis, etiam peſſumis, ſeſe inuoluant impediántve. velut ex gloſſ. *in l. ab Anaſtaſio, in verb. morantur. C. mandat.* & Iaſon. *in d. l. rem non nouam, §. patroni, numero 3. C de iudic.* didiſcimus. Vnde nec conſuetudinem valere, qua Aduocatis & Procuratoribus hoc de calumnia iuramentum remittitur. Iohan. Andreas *in cap. Romani. verbo: Aduocatorum. de foro compet. in 6.* & Speculator *tit. de Aduocat. §. 1. numero 31.* voluerunt. Et verò poſterior hæc ſententia quamuis nec vſu ſit recepta Weſembec. *d. num. 6. verſ. contra.* nec textibus iuris noſtri vſque quaque conſentanea ſit, Obrech. *d. c 6. n. 37. & ſeqq.* non tamen ita abſurda videtur eſſe, quin poſſit magno cum Reipub. commodo atq; vtilitate litigantium in forum introduci; cum compertum paſſim ſit, plæroſq; Aduocatos, ſeu verius forenſes rabulas, qui nulla religione, nullave conſcientia (abſit dicto inuidia) ducuntur, quaſuis cauſas, etiam peſſimas & nulla ratione fouendas, paſſim ſuo tueri patrocinio, & quas ſemel ſuſcepêre defendendas, eas omnibus viribus, contra fas & ius, æqui pariter & iniqui deſpecta ratione, proſequi, modò lucelli inde aliquid

facere,

facere,& ſuis loculis conſulere queant,quod vel ſola experientia quotidiana abundè nos docere poteſt. Cui certe malo mederi an Reipublicæ conueniat vtiléve nec ne ſit? aliorum relinquo iudicio. Nec me mouet ratio abs Weſembec. & Obrechto allegata,quoniam contra potius in ea ego ſum opinione,vt exiſtimem religioſiores & integrioris vitæ fideique viros Aduocatos id nō multum curaturos,cum & aliàs inter capita iuramenti,quod initio aduocationis ſuſcipiendæ præſtant,& *in d. l. non tam nouam.* nobis eſt præſcriptū,etiam hoc reperitur, quod non niſi ijs in cauſis patrocinium ſuum præſtare clientibus velint, quæ iuſtæ & veræ ipſis videantur,& vbi de iniuſtitiæ cauſa conſtiterit,ſtatim eas deſerere. *d. l. rem nō nouam. §. patroni.* Quod certè vel ab ipſo calumniæ iuramento non multum, meo iudicio, differt. Et porrò ſincera & illæſa tua conſcientia etiam mille huiuſmodi iuramenta præſtare poteſt,qui non niſi cauſas bonas & iuſtas,hoc eſt,quæ ipſi ab initio tales videntur eſſe, ſuſcipiet, & priuſquam ad proceſſum gradum refert,diligenter omnia,quæ ad cauſam videatur facere,ſolebit ponderare & examinare, illudq; ſibi crebrò ob oculos ponere,quod alibi Ouidius dicit:

Cauſa patrocinio non bona, maior erit.

Et vt aliqui forent, qui ob hanc rem & cauſam foro & aduocationibus vellent fortè valedicere;non tamen ob vnius alteriusque reſignationem & ſeceſſionem plurium malitiæ (in malos, non bonos Aduocatos hæc dicta ſint) hac in parte indulgendum,nec propter conſeruationem vnius alicuius membri, totum corpus reliquum deſerendum & in periculum deducendum eſt;cum & alias notum ſit, inter duo mala, minus eſſe eligendum. Nec porrò omnes bonos viros Aduocatos, & quibus conſcientia recti eſt, quique religione mouentur hoc improbaturos arbitror,cum vel optimos quosque in bona cauſa defendenda hoc iuramentum calumniæ non recuſaturos,ſed deſideraturos

Digitized by Google

rraturos vltrò, adq; id ſe oblaturos etiam non dubitem, vt aduerſarium ſuum Aduocatum malam fortè cauſam defendentem ab iniuſta defenſione & patrocinio poſſent reuocare & deterrere. ſed de hac quæſtione cogitandum. Vnicum tamen caſum reperio expreſſum, quo hodie Aduocatus calumniæ & malitiæ iuramentum tenetur præſtare, de quo vide ordin. Cam. Imper *part. 1. tit. 25.* Ob die Partheyen eygene Redner haben mögen? cui confer Rodingium, in Pandect. Cameral. *lib. 4. tit. 5. §. præter vtrumq;.*

CAPVT XII.

Aliæ quædam inter Aduocatum & Procuratorem differentiæ.

SVNT porrò & aliæ inter Aduocatum & Procuratorem differentiæ, velut quod minor 25. annis non poteſt eſſe Procurator ad litem, quemadmodum ex *l. minor. 51 ff. de procurat. & l. exigendi. 12. C. eod.* Ioh. Sich. *ibid. n. 16. & 19.* & in Rub. *eiuſd. tit. num. 7. verſic. quartò.* euincere conatur. quæ quidem ſententia iuuatur textu expreſſ. *in c. qui generaliter. 5. §. licet autem, de procurat. in 6.* vbi Bonifacius VIII. Licet autem quis poſt decimum ſeptimum procurator ad negotia licitè deputetur; ad iudicia tamen, ait, niſi maior 25. annorum fuerit, deputari nequibit, hactenus Põtif. ad quem tex. conſule gloſſ. & Dominic. de S. Geminiano. Aduocatus verò eſſe poteſt, qui compleuit annum 17. Sichard. *d. num 7. per tex. in l. 1. § pueritiam. ff de poſtuland.* vbi Vlpianus ait: (ſcilicet excuſauit prætor à poſtulando) dum minorem annis decem & ſeptem, qui eos non in totum compleuit, prohibet poſtulare, quia moderatam hanc ætatem (completi ſcilicet anni decimi ſeptimi) ratus eſt, ad procedendum in publicum, qua ætate, aut paulò maiore, fertur verba filius & publicè de iure reſponſi-

ſponſitaſſe. hactenus Vlp. Confer gloſſ. *ad d. cap. qui generaliter. §. licet autem, in verb. decimumſeptimum.* Vnde & hoc annotandum eſt. Doctores ex relato Vlpiani loco concludere, ętatem decem & ſeptem annorum ad Doctoratum ſuſcipiendum ſufficere. Sichard. *ad d. Rub. C. de procur. n* 8. dn. Dion. God. *ad d. l. 1. §. pueritiam, lit. L. ff. de poſtul.* Ratio autem, cur minor ætas in Aduocato, quam in Procuratore, probetur, ea affertur *à* gloſſa *in d. loco.* quia Procurator obligatur actione mandati; itemque condemnatur. Quod in Aduocato ſecus eſt. Et hanc ipſam diuerſitatis rationem ſequitur quoq; Dom. de S. Geminiano ibid. *verſ. gloſſ. ſuper verbo.* Et eam inſuper ponit Phil. de Franchis ibid. *verſic. ideo autem minor ætas ſufficit in Aduocato.* Quibus addatur Spec. *tit. de aduoc. §. 1. n. 16.* Iac. tamen Cuiacius *lib. 22. obſ. 16.* hanc differentiam non admittit, ſed conatur oſtendere Procuratorem & ad agendum & ad dependendum etiam minorem 25. annis, modo annum 17. compleuerit, & 18. attigerit, dari poſſe, ad quē lectorem remiſſum volo. Differūt prætereà Aduocatus & Procurator in caſu, velut Sich. *ad d. Rub. C. de procur. n. 8.* loquitur, valdè inſigni, dum quidquid Aduocatus ex aduocationibus ſuis lucrifacit, loco quaſi Caſtrenſis peculij habetur. tex. *in l. fori. 4 C. de aduoc. diu. iud.* vbi Honorius & Theodoſius Impp. aiunt: Fori tui culminis & vniuerſorum iudiciorum Aduocati, quicquid ex huiuſmodi profeſſione vel ipſius occaſione quæſierint, id etiam poſt obitū, pręcipuum, veluti peculium Caſtrenſe, ad exemplum militum, proprio dominio valeant vindicare. hæc illi. Vnde pater in iſtis bonis ſiue peculio illo nihil iuris habet, nec circa proprietatem, nec circa vſumfructum. Sich. *d. n. 8.* quin & ipſe filiusfam. inuito etiam patre, de bonis huiuſcemodi teſtari poteſt, *l. nemo. 11. l. omnes, 12. C. qui teſta. fac. poſ.* vbi gl. & Dd. Aliud autē in Procuratore conſtitutum eſt, Sich. *d. n. 8.* ſed nec poſtrema illa differentia eſt, quod Procurator in iudicio pręſens cauſam oretenus agit & defendit,

fendit, *l. ſeruum ff. de proc.* Roſb. *in proceſ. ti. 19. n. 2.* Aduocatus verò abſens conſulendo & iura ſumminiſtrando in ſcriptis clientulum fouet, eiusq; tuetur partes, *tot. tit. C. de aduoc. diu. iud.* Roſb. *d. tit. 18. n. 1.* Terminæ. in proceſ. *cap. 1. verſ. aduocatus.*

Verùm & hæc inter differentias, quæ inter Procuratorem & Aduocatum reperiuntur, eſt connumeranda, quod Procurator ſine mandato ſufficienti, vel cautione de rato, nulla in cauſa ad procurandum admittitur, *l. 1.* & gl & Doct *in verb. mandato, ff. de procurat. l. ſi procuratorem, eo. tit. l. ſeruum, 33. § 3. eod.* vbi Vlpian. ait: Ait prætor, cuius nomine quis actionem dari ſibi poſtulabit, is eum viri boni arbitratu defendat; & ei, quo nomine agat, id ratum habere eum, ad quem ea res pertinet, boni viri arbitratu ſatis dat, *l. non ſolum, 39. §. 1. eo. tit.* vbi Vlpian. Qui alieno nomine agit quamcunq; actionem, id ratum habiturum eum, ad quem ea res pertinebit, cauere debet. Et Gaius Ictus, *in l. qui proprio. 46. §. qui alium, 2. ff. eo. tit.* Qui alium defendit, ſatisdare cogitur Nemo enim alienæ litis idoneus defenſor ſine ſatiſdatione intelligitur. Et Vlp. rurſum *in l. 53. eo. tit.* ait: Non videtur defendere, niſi ſatiſdare fuerit paratus. & Paul: *in l. 14 ff. qui ſatiſd. cog.* Filius fam. ait, defendit abſentem patrem: quæſo an iudicatũ ſolui ſatiſdare debeat? Paulus reſpõdit, eum qui abſentẽ defendit, etiamſi filius vel pater ſit, ſatiſdare petitum ex forma edicti debere. Spec. *tit. de proc. §. 1. nu. 31.* Cuiac. *lib. 7. obſ. 26.* Roſb. *d. tit. 19. n. 15. & 16.* Phil. Matt *in l. nemo dubitat 95. ff. de R. I.* Dec: *in l. in eo. 110. §. nemo. 1. ff. eod. tit.* vbi *n. 2.* idem dicit obtinere, etiamſi defenſor ſeu procurator poſſideret immobilia, quia nihilominus teneretur ſatiſdare per not. Bart. *in l. ſciendum, §. tutores, ff. qui ſatiſd. cog* atq; etiamſi locupletiſſimus ſit. per *l. minor. §. fin. cum ll. duab. ſeqq ff. de procurat.* vbi Vlpian. & Paul. aiunt: is qui ſuſcipit defenſionem, etſi locupletiſſimus eſt, etſi conſularis ſit, non videtur defendere, niſi ſatiſdare fuerit paratus. Accedit ordinatio Cameræ *p. 1. tit. 21. in princip.* his verbis: Wir ſetzen vnnd ordnen auch / daß kein Procurator

einige Sach zuhandlen / oder im Gericht fürzubringen / ſich vnterfangen ſoll/er habe dann derhalben gnugſamen Gewalt: wo er aber nicht gnugſamen Gewalt hatte/ſoll er ſolches anzeigen/vnd beſtand thun/ohne ferner Einrede oder Diſputation/vnd ſo er das nit thun wolte/ſoll er ſtill ſchweigen/vnd ſich ferner der Sachen nicht vnterwinden. Confer Petr. Denaiſ. *tit. 23. n. 1.* & Guil. Rodingius ad illum *tit. 21. in Pandect. ſuis Cameral. lib. 4. tit. 5. actui*, ita ait: actui ante omnia & inprimis ſuas perſonas ad agendum per ſufficientia mandato legitiment procuratores. Si autem non habent ſufficientia mandata, de rato caueant. hæc ille. Idem ſtatuitur in ordinatione Palatina. Churf. Pfaltz Hofgerichts Ordnung/ *tit. 7.* §. Es ſollen ſich auch. *14 cum ſeqq.* Similiter der Statt Franckfurt ernewerte Reformation/ *part 1. t. t. 5.* §. Sonder gnugſamen Gewalt. Tale verò mandatum in Aduocato non requiritur. *DD. ſupra citati.* Et hæc de differentiis inter Aduocatum & Procuratorem dicta ſufficiant.

CAPVT XIII.

Qui poſſint eſſe Aduocati, qui non, triplex membrum prohibitionis.

ADVOCATI porrò regulariter omnes eſſe & pro alijs poſtulare poſſunt, qui non prohibētur. Prohibentur autem quidam edicto Prætoris. *l. 1. & paſſim. ff. de poſtul.* Quidam lege. Ioh. Goedd. Præceptor meus *in diſp. de poſtul. theſ. 2. lit. A.* Weſemb. in Paratitl. *ff. eod. n. 4.* Quidam ſententia iudicis. Weſemb. & Goed. *dd. locis.* Edictum Prætoris tres facit ordines. *d. l. 1. §. 1. ff de poſtuland.* Nam quoſdam in totum prohibet poſtulare: quibuſdam permiſit poſtulare pro ſemetipſis tantum: Quibuſdam & pro ſe & pro certis duntaxat perſonis alijs indulſit. *d. l. 1.* In primo ordine

dine reperiantur. I. Ob pueritiam minores 17. annis, *l.1.§.3.ff.de poſtulan.* quia infirmum adhuc iudicium in iјs eſt, qui ad plenam pubertatem nondum peruenerunt, *d.§.3* Roſbach. *d. tit. 18.n.3.* II. Ob caſum ſurdus, *dict.l.1.§.propter caſum.* vbi Vlpian. ait: Propter caſum, ſurdum, qui prorſus non audit, prohibet (Prætor ſcilicet) apud ſe poſtulare: nec enim erat permittendum ei poſtulare, qui decretum Prætoris exaudire non poterat: quod & ipſi erat periculoſum futurum: Nam nō exaudito Decreto Prætoris, quaſi non obtemperaſſet, pœna, vt contumax, plecteretur. hæc Vlp. vide Weſemb. *d.n.4.* & Roſbach *d.n.3.*

Secundo ordini adſcribuntur. I. Ob ſexum fœminæ, *d.l.1.§.5.* Ne ſcilicet contra pudicitiam ſexui cōgruentem alienis cauſis ſe immiſceant, néve virilibus officijs fungantur. *d.§.5.verſ.ſexum.* Sunt enim fœminæ ab omnibus officijs publicis & ciuilibus remotæ, *l.2.* vbi Dec. & alij. *ff de R.I.* Officium autem Aduocati eſt munus publicum & ciuile, *d.l.2.in verb.poſtulare.* vbi Dec. *n.9.* Weſemb. *d.n.4.* Et quidem virile, *l.aliorum, 18 ff. de procurat. d.l.2.ff de R.I.l.non diſtinguemus, 32.§.1.ff de arbitr.l.neg. 54 ff. de procurat.* Weſemb. *d.nu.4.* Namque officia ciuilia & publica virorum ſunt, non mulierum, *d.l.2.de R.I.l.1.C quando mulier. tut. offic.* Weſembec. *d.nu.4.* adeò quidem, vt ne pro liberis proprijs in iudicio admittatur ad poſtulandum fœmina, *l.qui aliena, 33.§. quamquam.ff.de negot.geſt.* Sed nec pro ſemetipſa hodie auditur mulier in iudicio poſtulatura, cum legitimam perſonam ſtandi in iudicio non habeat, ſiue agat illa, ſiue defendat. Weſemb. *d.n.*4. Vnde illi curator in litem dari ſolet. Weſembec. *d. loco* Gœdd. *d.loc. theſ.4.lit.C.per d.l.2.ff. de R.I.l.21 C. de procurat.* II. Ob caſum reijciuntur cæci, Weſembec. Gœdd. & Roſbach. *in locis præcitat.* tex. eſt *in d.l.1.§.5.verſic. caſum.* vbi Vlpianus ait: caſum excepit, cæcum vtriſq; luminibus orbatum Prætor repellit: videlicet quod inſignia magiſtratus videre & reuereri non poſſit. Refert enim

Labeo, Publicum cæcum, Aſpernatis Nonij patrem, àverſa ſella à Bruto deſtitutũ cum vellet poſtulare. hactenus ille. III. Remouentur, qui inſigni aliqua turpitudine notati ſunt; velut qui in corpore ſuo muliebria paſſus, ſi non per vim factum id fuerit. *d l. 1. §. remouet.* Qui capitali crimine damnatus, *d §. remouet. verſic. & qui capitali.* Qui de calumnia damnatus publico iudicio. *d. §. remouet. verſ. item.* Qui operas ſuas, vt cũ beſtiis pugnaret, locauit. *d. §. remouet. verſ. & qui operas.* niſi virtutis oſtẽdendæ cauſa id fiat, *d. §. remouet, verſ. deniq.* Poſſunt tamen hi pro iis, quorũ fortè tutelam vel curam gerunt, poſtulare, *d. §. remouet, verſic. ſed eſt æquiſſimum.* cùm non ſponte hoc caſu, ſed neceſſario poſtulandi officio fungantur, *l. puto autem, 6. ff. de poſtul.* Weſemb. *d. nu. 4.* Roſbach. *d. tit. 18. nu. 6.*

Tertij ordinis ſunt infames, qui edicto prætoris infamia ſunt notati, *d. l. 1. §. ait prætor.* niſi in integrum fuerint reſtituti, *d. l. 1. §. deniq. 9. & §. 10.* Et hoc quidem haud ſanè immeritò. Infamibus namq; omnes dignitatum portæ occluſæ ſunt, *l. 2.* vbi Cuiac. *C. de dignit. lib. 12. l. 1. in pr. ff. ad l. Iul. de vi priu.* idq; in tantum verũ eſſe exiſtimo, vt nec volente ac conſentiente parte aduerſa admitti debeant, *arg. l. 7. ff. de poſtul.* vbi Gaius ait: Quos prætor prohibet apud ſe poſtulare, omnimodò prohibet, etiamſi aduerſarius eos patiatur poſtulare, confer Paul. *recept ſent. lib. 1. tit. 2. §. 1.* Infamia aũt qui notentur ex tit. *de his qui not. infa.* repetẽdum eſt, cum notatis ibidem à gl. & Dd. Quibus verò ex cauſis Aduocati & Procuratores hodie infamiam incurrant, id integro capite explicat Magn. & Nob. Marq. Freh. *in tract. de exiſt. lib. 3. c. 13.* cuius ſumma eſt: Si iuſſus à iudice parti adeſſe, patrociniũ ſuum denegauerit: ſi pactus cum cliente de quota litis: ſi conuicijs in aduerſarium vtatur: ſi erga iudicem inuerecundus, iniurius, importunúsve fuerit: ſi præuaricatus. De quibus omnibus latius apud D. Freh. *in loco citato* videre licet.

CAPVT

CAPVT XIV.

Secundum membrum de lege prohibitis poſtulare.

LEx quoq; à poſtulando & aduocando quoſdam remouet & arcet, velut iudices & arbitros in ea cauſa, in qua ſunt iudicaturi, *l. quiſquis, 6. in pr. C de poſtu.* vbi Valent. & Valens Impp. Quiſquis, aiunt, vult eſſe cauſidicus, non idem in eodem negotio ſit aduocatus & iudex, quoniam aliquẽ inter arbitros & patronos oportet eſſe delectum. Et Iuſtin. Auguſtus *in l. 14. C. de aſſeſſ.* Nemo, ait, ex his, qui Aduocati cauſarum conſtituti ſunt, vel fuerint, etiam in hac Regia vrbe, in quocumq; iudicio deputati, & in alijs omnibus prouincijs noſtro ſubiectis imperio, audeat in vno eodemq; tempore tam aduocatione vti, quam conſiſtorij cuiuſcunq; magiſtratus curiam arripere. Et Paulus ICtus *in l. 5. ff. de offic. aſſeſſ.* ait: Conſiliario, eo tempore quo adſidet, negotia tractare in ſuum quidem auditorium nullo modo conceſſum eſt: in alienum autem non prohibetur. Weſemb. *in Paratit. ff. de poſt. nu. 5.* Roſbach. *d. tit. 18. nu. 5.* Gœdd. *d. loco.* Vt autem iudex vel arbiter non poteſt eſſe Aduocatus in ea cauſa, in qua iudex vel arbiter eſſe vult: ita ex aduerſo nec Aduocatus iudicis officio fungi poteſt eo in negotio, in quo olim aduocando meruit. *l. vlt. C. de aſſeſſor.* Pariſ. *conſil. 70. lib 4.* Iacob. Menoch. *de arbitr. iudic. quæſt. lib. 1. quæſt. 73. numero 4.* Petr. Rebuff. *ad conſtitut. Reg. tit. de recuſat. artic. 6 gloſſ. 1. numero trigeſimoprimo,* per doctrinam gloſſ. & Doctor. *in cap. cauſam, de offic. delegat. cap. ſtatutum, 11. quæſtione 6 cap. fin. de confeſſ. in 6. l. prætor. ff. de iuriſdiction.* Carol. de Graſſ. *tractat. de exceptionib except. 24. numero 85. & ſequ.* Anton. Capyr. *deciſ. 146.* Lanfranc. de Oriano. in praxi *num. 64 fol (mihi) 80.* Idq; propter affectionis ſuſpicionem, Doctor, vbi ſupra, Franciſc. Marc. *deciſ.*

Delphin.

Delphin.904.n.9.part.2. Pau.de Caſt.*conſ.441.num.4.vol. 2.* Quod nō tantum in vna eademq; cauſa procedit, ſed & in ſimili; quippe nec tunc iudicis partes ſibi ſumere Aduocatus poteſt, quando in ſimili cauſa olim patrocinatus eſt, *c.cauſam, de iudic.* Ripa *in c.1.nu.15.eod.* Petr.Rebuff *d.tit de recuſat.art.5.* gloſſ.1.*n.31.* Quamuis enim verum ſit, quod vulgo iactatur, NVLLVM SIMILE ESSE IDEM, *l.quod Nerua.ff.depoſiti.cap.capitulum, de reſcript.* Eadem enim dicuntur, quorum vna eſt ſubſtantia, tametſi nomen ſit diuerſum; Similia verò vocantur, quæ cum ſubſtantia differant, eandem tamen cauſam & parem, atq; vnam rationem habere, *l.qui liberis, in prin ff.de vulg.& pup.ſubſtit. l.quæritur ff de ſtatu hom.c.cum dilecta.de confirm.inut.* Iohan.Coraſ.*in l.non poſſunt.ff.de ll n.1.cap.2.* Attamen cum de ſimilibus ad ſimilia in iure, atq; ipſis etiam in iudicijs procedatur, *l.vlt.C.de* [illegible] *ff.de legi. c.translato.Extr.de conſtitut.* Ioan.Coraſ.[illegible] & vbi eadem eſt cauſa parque ratio, idem ius ſtatui debeat & ſoleat, *l.* [illegible] *Aquil.* Coraſ.*d.loco.* Ideò ex præſumptione paris [illegible] conſtitutum eſt, *fac. tot. ſup.* Hæc tamen [illegible] diſtinctionem, quam ponit Paul.de Caſtro *a conſ. 441.nu.4.* dicens: Qui fuit Aduocatus in vna cauſa pro vna parte, non prohibetur eſſe arbiter vel arbitrator, vel etiā iudex in eadem cauſa, etiam partibus ambabus nolentibus, eo modo, quo quidā alij perpetuo prohibiti, vt ſeruus, furioſus, ſurdus & mutus, qui non poſſunt, etiam partibus volētibus: ſed prohibetur; ſi altera pars, contra quam fuit aduocatus, ipſum tanquam ſuſpectum recuſat, quia propter affectionem, quam præſumitur habere ad cauſam, cenſetur eſſe iuſta cauſa recuſandi, ideò ſi parte illa nō conſentiente fuit creatus iudex ordinarius, parte illa inſtante non debet ipſe de cauſa cognoſcere, ſed debet eam alteri delegare, & ſic accepit iuriſdictionem, non exercitium. Si verò foret datus iudex delegatus, poſſet in totum recuſari, hactenus verba

Caſtrenſ.

Digitized by Google

Caſtrenſ. Similem ad modum ex eadem affectionis ſuſpicione aduocatus & teſtis in vna eademq; cauſa nemo poteſt eſſe. DD. *in locis citat.* Ioan. Sichard. *in l. omnibus, 9. n. 2. & ſeqq. C. de teſtib.* tex. eſt expreſſ. *in l. fin. ff. de teſtib. & in c. Romana, eod. in 6.* latè & eleganter Proſper Farinac. *in tract. ſingulari de teſtib. quæſt. 60. illat. 4. n. 151. & mult. ſeqq.* vbi hanc quæſtionem plene diſcuſſam habes. adde Bart *de teſtib. lib. 3. n. 13.* Ioſeph. Maſcar. *de probat. vol. 1. concl. 66.* An autẽ Aduocatus finito officio teſtis eſſe poſſit ea in cauſa, in qua nondum finita patrocinium præſtitit, quæſtionis eſt haud otioſæ? de qua vide Maſcard. *d. concluſ. 66.* Surd. *deciſ. Mantua. 219. lib. 9.* qui negatiuam defendit contra communem Doct. opinionem. Mynſin. *conſ. 55. n. 18.* qui diſtinguendo opiniones conciliare ſtudet. Lege quoq; prohibetur poſtulare Hæreticus, *l. fin. C. de poſt.* vbi Leo & Anthem. Impp. Nemo, aiunt, vel in foro magnitudinis tuæ, vel in prouinciali iudicio, vel apud quemquam iudicem accedat ad togatorum conſortium, niſi ſacroſanctis catholicæ religionis fuerit imbutus myſterijs, idq; ſub pœna 100. librarum auri, iudici, qui hæreticum admittit, perpetui verò exilij atque proſcriptionis ipſi aduocato, infligenda. *d. l. fin. verſ. ſin autem.* vide Weſemb. *d. n. 5.* Accedit ordinatio Cameræ *part. 1 tit 3.* § Vnd inſonderheit. *juncto tit. 18. in princ.* quorum verba ſunt: Vnd inſonderheit ordnen vnd wollen wir / daß CammerRichter vnd Beyſitzer ſammentlich vnd ſonderlich ſo hinfüro durch die Keyſerliche Majeſtät / oder jhrer Ldn / vnnd Keyſerlicher Majeſtät abweſens / wie oblaut / vns / die Churfürſt. vnd Kreyß jederzeit præſentirt vnd geordnet werden: Dergleichen alle andere Perſonen deß Cammergerichts / von beyden der alten Religion / vnd dann der Augſpurgiſchen Confeſſion præſentirt vnnd geordnet werden mögen / vnd derwegen nicht außzuſchlieſſen ſeyn. Vnd ſollen dieſe / dergleichen alle andere Perſonen deß CammerGerichts ſich der alten Religion / oder bemeldter Augſpurgiſcher Confeſſion gemeß halten / vnnd ſich keiner ſondern

Digitized by Google

Secten anhängig machen: dann wo ſie an dem vngehorſam erfunden würden / es wehre wer es wolle / ſoll der Cammer Richter befelch vnd macht haben / den oder dieſelben / von ſeinem oder jhrem Ampt / mit rath vnd vorwiſſen der andern Beyſitzer / zuvrlauben vnd abzuſetzen. Hactenus Ordin. Confer Denaiſ. *tit. 232. §. 2.* Verum quæritur hoc loco, an, vt ab aduocationis munere repellatur hæreticus, opus ſit præambula ſententia declaratoria? Quod vtique eſt affirmandum. Nam licet ipſo iure ſeu canone excommunicatus ſit hæreticus, tamen ad hoc, vt repellatur ab actu ciuili, opus eſt ſententia declaratoria. Mynſing. *centur. 2. obſeruat. 43. in princ.* Iohan. Dauth. *de teſtament. numero 248.* Iacob. Menoch. *de arbitrar. iudic. quæſtion. lib. 2. caſu 416. numero* 64. poſt Innocent. *in cap. cum noſtris, de conceſſ. præbend.* Anchoran. *conſ. 293. nu. 4.* Hotoman. *conſ. 57. nu. 24.* Et aliàs regulare eſſe nouimus, quod ſententia declaratoria ſemper requiratur, etiam in iis, quæ ipſo iure diſponuntur. Surdus *deciſ. Mantua. 48. num. 12. lib. 1.* poſt Bartol. *in l. ſi quis maior.* vbi & Iaſon. *n. 25. C. de tranſact.*

Vnde nulla ratione nullóve iure Doctores & Iureconſultos reformatæ religionis quibuſdam in iudiciis ab Aduocatorum Procuratorumque officiis arceri & repelli, ſatis firmiter infero. per notata Dauth. *d. nu. 248. in obiter dictis, verſic. hinc autem notandum.* cum nec conuicti hactenus ob hæreſin, nec condemnati ritè fuerint. *fac. c. cum ſecundum, 19.* vbi gl. & Canoniſtæ comm. omnes, *de hæret. in 6.*

Porrò ob legis prohibitionem Aduocati munere fungi non poteſt fiſcus & ciuitates, *l. 3. & tot. tit. C. ne fiſc. vel Reſpub. procurat.* Weſemb. *d. n. 5.* Idq; ob fraudem euitandam, quæ hoc prætextu creditoritoribus non raro inferri conſueuit, *l. vlt.* vbi Dd. *C. eo. ti.* Sed & libertus aduerſus patronum poſtulare ex lege prohibetur, *l. 2. C. de poſtul.* vbi gl. *in verb. cæterum.* Sicut & vaſallus contra dominum, *c. 1. §. item ſi delator.* vbi gloſ. *ad verb. perdit. quæ fuer. pri. cauſ.*

cauſ.beneſ.amit in vſib.feu. Weſemb.*d.n.5.* Et hoc ſub pœna priuationis feudi, Zaſ.*de feu.par 10.num.42.per c.fin.de poſtul.* ſi videlicet ſpontè ſuum præſtiterit patrocinium aduerſus dominum; ſecus ſi coactus, vel officij neceſſitate, puta ſi fiſci aduocatus ſit. Zaſ.*d.n.42.* cui adde Henr. à Roſenthal, *de feu.c.10.concl 22 n.18.* vbi benè diſtinguit. Vel per iudicem, Zaſ.*d.n.42.per not.in l.fi.ff.de inoffi. teſta.* tex.*in l.poſt legatum, §. aduocatum, ff.de his quib. vt ind* vbi Pau. IC. Aduocatum fiſci, ait, qui intentionem delatoris exequitur, in omnibus officij neceſſitas excuſat. & notat ibi dn. Godof. *lit. q.* confer *l.22.ff.eod.tit.* vbi excuſatur tutor, & legata conſequitur ſibi relicta, qui nomine ſui pupilli falſum & inofficioſum teſtamentum dixit, licet non obtinuerit; quoniam neceſſitas officij ipſum ſatis reddit excuſatum. Quod ipſum & Paulus reſpondet *in l.pen ff de poſtul.* Et hoc quidem non ſolum in criminalibus obtinet, ſi videlicet vaſallus aduocatus fuerit contra dominum in criminali cauſa, ſed etiam in cauſis & negotijs ciuilibus & non famoſis, de quo plenè tractat Roſenthal, *d.c.10.conclu.22.nu.9.& ſeqq.* An autem hîc pœnitentiæ locus ſit, vt vaſallus ſpontè deſiſtens non amittat feudum? vide omninò Roſenthal, *d.concl.22. num.22.* Verum cum aduocatum agere aduerſus dominum ſine feudi amiſſione vaſallus non poſſit nec debeat; quæſtionis econtra eſt non ſatis liquidæ, vtrum ergo ex aduerſo vaſallus dominum patrocinando & aduocando in iudicio ſeu iudiciali prælio teneatur defendere? Certe videtur hoc affirmandum; quia obligatus eſt vaſallus dominum defendere tam in prælio, quam in rixa, & aduocati dicuntur milites & militare, *l.14. C.de aduoc. diuerſ.ind.* Secundò, quia tenetur domino dare conſilium, ſiue conſilio ſuo eum iuuare, *c.1.de form. fidelitat.* Et his quidem rationibus plærosque moueri, vt ita ſentiant, teſtatur Roſenthal *d.concluſ.22.numero 23.* Sed contraria ſententia de iure verior eſt, quam & ipſe Roſenthal. *d.num.vigeſimotertio.* defendit.

Digitized by Google

Quoniam feuda non dantur pro munere aduocationis, nec iſta habent annexa ſeruitia natura ſua, ſed defenſionem ſolum contra vim. Iudicialis autem, etiam iniuſta, impetitio nullam vim infert. Et aliud eſt conſilio adiuuare, aliud aduocando adeſſe. Licet enim aduocatus etiam conſulas; attamen è contra omnis conſulens non patrocinatur ſeu aduocatum agit, nec vaſallus tenetur ſemper & aſſiduo conſilijs ſuis adeſſe domino, velut conſiliarij conducti & perpetui, quia ſic negligeret res ſuas domeſticas. Quare cum hoc temperamẽto quæſtio propoſita decidenda eſt, vt ſi vaſallus conſiliis aut patrocinijs ſuis lucrum facere & operam dare velit, ſi requiratur, & ęqualis offeratur conditio *à* domino feudi, illi officia & ſeruitia ſua potius, quam alijs, impendat. Atque hanc quidem diſtinctionem & æquam & rationi conſentaneam eſſe (niſi feudum ſaltem pro aduocato munere conceſſum ſit) Roſenthal *d. n 23. circa fin.* docet, quem omninò vide. Tandem per legem nõ poſſunt eſſe aduocati omnes illi, qui legitimam perſonam ſtandi in iudicio non habent. de quib. *tot. tit. C. qui legit. perſon. ſtand. in iudic. n. 5.* vbi gl. & Dd. Weſemb. *d. n. 5.* Roſbach. *d. tit. 18. n.* 8. Gœdd. *d. loco.*

CAPVT XV.

Tertium membrum de ſententia iudicis, quos ab aduocando remoueat.

SED & iudicis quandoq; ſententia *à* poſtulando & aduocando quoſdam remouet, velut ſi aduocato ob contumaciam, vel delictum, vel aliã ob cauſam aduocatione interdicatur, vel ad tempus, vel in perpetuum, *l. moris. 9. ff. de pœn. l. 5. & 6. ff de poſtu.* Weſemb. *d. num. 5.* Cuius quidem interdictionis & ab officio remotionis exemplum habemus per quam luculẽtiſſimum apud Gilm. in Symphor. ſupplicat. Cam. Imper. *tomo 2. par. 2. voto 141* vbi

Digitized by Google

vbi & Procuratori & Aduocato, ob productum in iudicio ſcriptum famoſum, ab officio remotis, foro perpetuo fuit interdictum. Sententiam declaratoriam apponere hîc è re viſum fuit. Eſt autem talis: In Sachen Herrn L. F. Z. K. wider deſſen Creditores in actis, benannt / ſecundæ appellationis, iſt die von wegen ermeldtes Herrn den 23. Septemb. Anno 1584. einkommene Ableinungsſchrifft als mehr Schmehafft / vnd den gemeinen beſchriebenen Rechten / Reichs Ordnungen vnd Abſchieden zuwider / nicht angenommen / ſondern verworffen / jedoch jhme Herrn L. F. ſeine nothturfft / vnd wie ſichs gebürt / nachmals vorzubringen hierdurch vnbenommen. Auch N. vmb deßwillen er ſolche Famoßſchrifft gerichtlich eingeben / vnd andern bewegenden Vrſachen ſeines Procuratorſtands hiermit privirt vnd entſetzet. Dann Doctor N. als Advocat Cauſæ, welcher berührte Famoßſchrifft jhme N. zu produciren befohlen / bey Straff 20. Marck lötigs Golts / dem Keyſerlichen Fiſco vnnachläſſig zuentrichten / vnd keiner Parthey / wer die auch ſeye / in- vnd auſſerhalb deß Gerichts / in jetzigen vnd künfftigen Sachen / an dieſem Keyſerlichen Cammergericht mit aduociren, conſuliren, ſuppliciren, ſollicitiren, reuidiren, noch in einige andere wege / ſich ferrner gebrauchen zulaſſen / gäntzlich intercidirt vnnd verbotten: Als wir ſie dieſelbige hiemit priuiren, entſetzen / auch reſpectiuè intercidiren vnd verbieten / vnd ſolches alles von Amptswegen. Letztlich iſt dieſer gemeine Beſcheid / daß alle vnnd jede deß Keyſerlichen Cammer Gerichts Procuratores, bey dem Eydt / damit ſie demſelben zugethan / auch entſetzung jhres Procuratorſtands / vnd anderer Straff nach ermäſſigung / ferrners keine Schrifft / Handlung / oder anders / wie das Namen haben mag / durch ermeldten Doctor N. den Partheyen aduocando, conſulendo, ſupplicando, ſollicitando, oder in andere weg cõcipirt, reuidirt, vnd gefertiget / weder iudicialiter, noch extra iudicialiter, einzugebẽ / wiſſentlich oder vermutlich / von jhme oder andern annehmen / vnd an dieſem Keyſerlichen Cam-

nen Gericht produciren oder produciren laſſen / ohn alle argeliſt vnd gefährde: Auch ſolches alles deren Partheyen / welchen ſie neben jhme Doctor N. procurando biſzdahero gedienet / vnverzüglich anzuzünden vnd zuwiſſen machen ſollen. Publ. Spiræ, 28. Ian. an. 1586.

Horum occaſione non immerito hîc quęri poteſt, an & quatenus liceat iudici vnius fori, Aduocatis alterius fori & extraneis, qui ipſi iurati non ſunt, foro aduocationibúsve interdicere? Et vtrum per ſemetipſum aduerſus delinquentem ex officio procedere poſſit, an verò cauſam ad ordinarium delinquentis in officio remittere debeat? ſanè Camer. Imperialem, tanquam ſupremum Imperij Romani iudicium, punire Aduocatos quoſuis, etiam non Camerales ſiue extraneos, ob delicta, iniurias, & conuicia in iudicio prolata; inq; eo ſatis eſſe eius iuriſdictionem fundatam, dubio caret: tum quod illa ſummum eſt Imperij iudicium, quod ab Imperatore & Imperij Romani ſtatibus ſupremam autoritatem & ordinariam iuriſdictionem, cum ipſo Cæſare concurrentem, habet. Gail. *lib. 1. obſeru. 121. nu. 3.* Tum, quod præiudicijs id clarum manifeſtumq; redditur. Exemplum modo allegatum, de quo vide omninò Gilman. *d. loco.* De alijs verò ſiue inferioribus iudicibus maior eſt dubitatio. ſed omiſſis ſuperfluis, veritas eſt, quéuis iudicem punire poſſe Aduocatum, etiam extraneum & ſibi noniuratum, ſi in iudicio delinquat. Nam forenſis ſiue extraneus delinquens coram alio, non ſuo, iudice, ſubijcitur iuriſdictioni illius, & eandem quaſi prorogat. *l. 1. & Authen. qua in prouincia. C. vbi de crimin agi oport.* Zaſ. *conſ. 14. n. 59. lib. 1.* poſt Dyn. *in l. fin. de accuſat.* gloſſ. expreſſ. *in l. 3. ff. de offic. præſid.* vbi cùm dicitur, præſidem etiam aduerſus extraneos imperium habere, ſi malefecerint, licet aliàs in ſuæ tantum prouinciæ homines habeat: dicit gl. *ibid. in verb. extran.* quod etiam extranei Svi dici poſſint, ratione delicti. Forum enim delicti ratione quin omnes ſortiantur, nulla eſt dubitatio, *c. poſtulaſti, c. fin.*

Digitized by Google

fin. de foro competen. late Duennas *reg.* 378 Soarez *commun. opin. in verb. forum* Bald. & Salicet. *in l. 2. C. de iuriſdict. omn. iudicum.* vb. & Præceptor meus in Academia Marpurg. clariſſimus Herman. Vulteius, *l. hæres abſens, in prin. &* §. 1. *de iudic.* Canoniſtæ *in c. licet, de foro compet.* Gilman *d. loco. 14. n. 43.* Et in ſpecie in Aduocato in iudicio delinquente exemplum ponit Lucas de Penna *in l. quoties, C. de dignitat. lib. 12.* Et ſpecialius in commiſſa iniuria, quam litigantes, vel eorum Aduocati viciſſim in iudicio ſibi inferunt, idem ibid. affert, dicens: Et poteſt iudex ſtatim poſt illatam iniuriam inferentem condemnare, *per l. quiſquis, C. de poſtul.* Quod autem Aduocatus ſiue patronus cauſæ delinquat; ſi conuiciando, maledicendo, temerè prorumpat, & probris certare præſumat, ideoq; puniendus ſit, ſatis liquet ex ordinat. Cameræ, & alijs Imperij receſſibus, atq; ipſis etiam iuris noſtri textibus, velut ex *l. falſi nominis,* §. 1. *ff. ad leg. Corn. de falſ. d. l. quiſquis. C. de poſtul.* & ſupra idipſum latius eſt probatum.

Similiter qui ſententia iudicis relegati ſunt, aut aliàs in ciuitate eſſe prohibentur, aut à curia arcentur, quin poſtulandi ſiue aduocandi iure deſtituantur, dubitari non debet. *l. Imperator. 8.* ibi: *de exilio reuerſum. ff. de poſtul.* Weſemb. *d. nu. 5. ſub fin.* Atque hæ quidem prohibitiones ſalutari ac laudabili introductæ ſunt cõſilio, ad conſeruationem nimirum decoris, amplitudinis, ac dignitatis magiſtratuum, & ad habẽdum delectum aduocantium ſiue poſtulantium, arg. *l. 1. in prin ff. de poſtul.*

C A P V T X V I.

De requiſitis & qualitatibus Aduocati.

ET hęc quidẽ de his, qui aduocati eſſe vel non eſſe poſſint, dicta hactenus ſint. Conſequens nũc eſt, vt tandẽ videamus, de quali-

qualitatibus in aduocato requiſitis, quibusq́; ille ornatus virtutibus, ac quibus inſtructus artibus atq; diſciplinis eſſe debeat, vt in forum & numerum aduocatorum recipi, & cum laude ac fructu clientibus ſuis adeſſe & patrocinium præſtare poſſit? Id verò ſequentibus verſiculis comprehendi:

Fortè patrocinium ſi quis præſtare clienti
Suſcipit, & dubio cauſam agitare foro:
1. Coniugio natus ſit honeſto: 2. atq; indole præſtans
Ingenioq́; bono: 3. ſit memorisq́; animi.
4. Integra fama virum maneat: 5. pietate celébris
Audiat: 6. Humanus: 7. ſit moderatus item.
8. Sectator veri: 9. partiq́; fidelis: 10. & ætas
Non grandæua nimis, nec minor illa nimis.
11. Iuriſconſultus: 12. promptus: 13. rerumq́; peritus,
Atq; fori gnarus experiensq́; ſiet.

Hiſce verſibus requiſita ſeu qualitates aduocati noſtri includuntur, quas ordine explicabimus.

CAPVT XVII.

I. Qualitas ſeu requiſitum in Aduocato.

CVMPRIMIS autem in Aduocato requirimus Natales legitimas, vt ſcilicet ex iuſto & legitimo matrimonio, abs ingenuis honeſtisq́; parentibus procreatus & natus ſit. Nam cum Aduocati munus cum honore & dignitate coniunctum ſit, veluti ſuperius eſt oſtenſum; vtiq; non niſi legitimi, & iuſto ex matrimonio prognati, ad id aſpirare poſsũt. Infamibus enim, quales ſpurij ſunt, Mynſing. *cent. 4. obſer. 31.* omnes dignitatum partæ occluſæ ſunt. *l. 2. C. de dignitatib. lib. 12. c. infamibus, de reg. iur. in 6.* Mynſ. *d. obſ. 31.* poſt Bald. *in l. 4. in prin ff. de lib. & poſth. & in l. bonæ fidei.*

Digitized by Google

fidei. C. de reb. cred. Ruland. *de commiſſ. lib. 1. cap. 7. n. 1.* Vnde nec ad aſſeſſioratus dignitatem euehi: Mynſing. *d. obſ. 31.* Nec conſiliarij principis eſſe: Bal. *in l. cum legitimæ. ff. de ſtatu hom.* Mynſing. *d. obſ. 31.* Nec doctoris titulo inſigniri poſſunt. Mynſing. *d. loco.* Secundo, quia ſæpe euenit, vt Aduocatus aduerſus ſpurios vel teſtes vel aliàs in iudicio comparentes excipere, eoſque reijcere debet. hoc autem, ſi & ipſe ſpurius minusque legitimè natus ſit, ſine rubore facere nõ poteſt, cum poſſit ei obijci illud Catonis:

Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.

Et hanc rationem in commiſſario quoq; conſiderauit Ruland. *d. c. 7. n. 2.* Tertia ratio eſt, quia egregiæ animi dotes in aduocato requiruntur, velut verſiculi ſupra relati indicant, & inferius latius dicetur. ſed notum eſt illud vulgare, MALVS CORVVS, MALVM OVVM. Et quod Poëta dicit:

Sæpe ſolet ſimilis filius eſſe patri.

De quo gloſſa *in l. quiſquis. ad leg. Iul. maieſt.* Quî cùm & Horatius *lib. 4. Od. 4.* concinit, dum ait:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quamuis enim exempla habeamus, quod nonnunquam ſpurij etiam, alijs legitimis ingenioſiores, virtuoſioresq; euaſerint, & ad ſummos honores atq; dignitates euecti ſint, velut Homerum, qualis & quantus etiam fuerit, ex illegitimo flore natum conſtantiſſima fama eſt. Zwinger. in theatro vitæ *vol. 18. lib. 10.* Gratianus monachus, Doctor Bononienſis, autor Decreti, ſpurius dicitur à Volat. *lib. 22 Anthrop.* Zwinger. *d. loco.* Iohannem Andream iuris vtriuſq; ſcientia, alijſq; virtutibus clariſſimum, mater concubina natum idem volat. *lib. 21. Anthrop.* notat. vide Zwing. *d. loco.* Attamen cum hæc exempla rara ſint, & in con-

trarium plura reperiantur ſpuriorum malos mores prauaque ingenia habentium, vtique ad conſequentiam trahenda non ſunt. Raro ſiquidem contingentia, licet poſſibilia, non ſunt attendenda, Surd *deciſ. Mantua. 83. n. 22. lib. 1.* poſt Socin. *conſ. 65. & conſ. 126. vol. 3.* Pariſ. *conſ. 29. n. 50. vol. 2.* Purpur. *conſ. 302. in fin.* Et verò hæc legitimæ & iuſtæ ingenuæque natiuitatis qualitas in aduocato expreſſè requiritur in ordinatione Cam. Imp. *part. 1. tit. 15.* Von Perſonen der Advocaten vnd Procuratorn. *ibi*: rechter / natürlicher / ehelicher Geburt. adde Denaiſ. *tit. 232. §. 1. in verb. natalibus.*

Quæri autem hoc loco ſolet de legitimatis, num videlicet & illi in numerum aduocatorum ſint recipiendi? Sanè cùm ordinatio Cameræ expreſſè requirat, daß die Advocaten rechter / natürlicher / ehelicher Geburt ſeyn ſollen. *d. tit. 18. in princ.* Vtiq; dicendum videbatur legitimatos nulla ratione admittendos eſſe, quo faciunt, quæ Mynſ. *d. obſ. 31.* & Rul. *d. c. 7. n. 5 & ſeqq.* ſcribunt: Statuta namq; propriè ſunt intelligenda, *l. 3. §. hæc verba. ff. de negot. geſt.* in ſtricta & propria ſignificatione, *l. fin. C. de his qui ven. ætat. imp.* Bar. *in l. omnes populi, in 4. quæſt. 6. quæſt. prin. ff. de iuſt. & iur.* Bal. *conſ. 2. n. 4. vol. 1. & conſ. 294. vol. 1.* Alex. *conſ. 20. vol. 2* Iaſ. *in l. fi. col. 2. C. de interd. vid.* Surd. *deciſ. Mant. 313. n. 4* Sunt enim ſtricti iuris, in tantum, vt nec ex idenditate rationis extendi poſſint, Rul. *d. c. 7. n. 7.* ſed legitimati ſemper fictione aliqua iuris, non verè, dicuntur eſſe legitimi, Ruin. *conſ. 124. n. 4. vol 4.* poſt Iac. Butrig. Iac. de Beluiſo, Bal. Ang. & alios *ibi cit.* Nec ſi originē ſpectes, alij quam naturales ſunt, And. Tyraq. *tract. le mort ſaiſit le vif. par. 2. declar. 6. per tot.* vbi late hoc & elegāter comprobat. Vnde & auro alchymiſtico non inconcinnè à quibuſdam æquiparantur. Mynſ. *d. obſ. 31.* vbi dicit: legitimatos ſimiles eſſe alchymiæ, quæ facit apparere, quod non eſt, *Bal. in c. 1. de conſtit.* quem refert & ſequitur Iaſ. *in l. cum acutiſſimi, C. de fideicom.* & vtrumque recenſet Mynſ. *d. loco*

loco. Et Bal. alibi ſimiles dicebat legitimatos eſſe hic, quorũ vulnus ſanatum eſſet, remanentibus cicatricibus, velut refert Ant. Matth. *in* ℣. *naturales*, 2. *feud*. 26. Atq; Mynſ. *d. obſ*. 31. *ſub fi*. ſpurios, vtcunq; efficiantur legitimi, remanere tamen infames de facto inter bonos viros, ſcribit. Quia infamia ſemper remanet infamia, licet cauſa ſit extincta, Dobbo: z:n *in repert. verb. de priuil*. §. *nota*, Mynſ. *d loco* per not. Bal. Marſil. Alex. & Chaſſ. *ibi citatorum*. Sed diſtinguendum hoc loco inter legitimatos per ſubſequens matrimonium, & eos, quos vel principis reſcriptum, vel curiæ oblatio legitimos fecit; ad hoc ſcilicet, vt primi à conſortio legitimorum nec excludantur, cum idem iuris, quod in his, in ijs ſit conſtitutum. officium autem aduocati iuris ciuilis eſt. Horum occaſione de quæſtione; *An ſtatuto excludente fœminas à ſucceſſione feudi extantibus maſculis, comprahendantur legitimati?* non abs re hic tractatur, quippe ex qua ſuperior melius & certius reſolui poteſt & intelligi. Equidem grauiſſimã hanc, & multo ſudore hactenus abs interpretibus agitatam quæſtionem hodie vix dubiũ amplius habere, cum receptũ paſſim ab omnibus ſit, eo ſtatuto contineri legitimatos per matrimonium ſubſequẽs, ex iis conſtat, quæ DD. communiter ad ℣. *naturales. lib*. 2. *feud. tit* 26. vnanimiter tradunt, & videre eſt apud And. Gail. *lib*. 2. *obſer*. 141. *per tot*. vbi veram hanc eſſe concluſionem, & communem opin. aſſerit. Et Mynſ. *cent*. 5. *obſ*. 42. in Camera Imp. ſecundum hanc opin. vt quæ magis ſit recepta, & *à* qua nec iudicando nec conſulendo recedendum ſit, in arduam quadam cauſa per dominos aſſeſſores iudicatum meminit. Cui & Henr. *à* Roſent. *de feu c*. 1. *concl*. 15. in gloſſa K. aſſentit, dicens, hanc iſtam opinionem in magna cauſa inter nobiles obtinuiſſe, ex viro fide digno ſe habere. & idem *d. tract de feud. c*. 7. *concl*. 18. *num*. 1. & 2. legitimatos per ſubſequens matrimonium non minus, quàm legitimè natos in feudis admitti tradit, & text. *in dict*. ℣. *naturales*, de ijs accipi debere

ait, qui alio modo, quam per ſubſequens matrimonium poſteà fuerint legitimi facti, velut ſunt, qui per principis reſcriptum, vel oblationem curiæ natalibus ſunt reſtituti: Et paucos hoc, ait, ſed fruſtra oppugnare & tueri. hæc Roſenthal. vbi præterea 78. Doctores idem docendo reſpondendoque ſtatuentes allegat. ſed quidquid communi placito receptum ſit, cum contraria ſententia de iure verior videatur, non erit prohibitum eam defendere. Et vt primo loco ad ipſam COMMVNEM OPINIONEM reſpondeam, Neſcius quidem minimè ſum, quantæ illa autoritatis exiſtimationiſve ſit, quantiq; ab omnibus fiat, & fieri meritò debeat, cum & ab ea nec in iudicando, nec reſpondendo, nec docendo recedendum vnquam plærique doceam. Hieron Schurff *conſ.60.n.26.cent.1.* poſt Bar. *in l.1.C.de pœn.iud.qui malè iud.* Bal. *in l.1.ff.de ſenator.* Abbas Panorm. *in c.1.extr.de conſti.* Guid. Pap. *deciſ.134.& ſingul.291.& 112.* Atq; in dubio eidem inhærendum tradit Ludolph. Schrad. *inter conſil. varia à* Laurenti Kirch. edita, *tom.3.conſ.20.n.162.* addita hac ratione, quam & Maſcard. *de probat. vol.3. concluſ.1138.n.1.& ſeqq.* late probat, quod ſcilicet iuſtius & verius præſumatur illud eſſe, quod à pluribus approbatum eſt. *per c.eccleſia, Extr.de electiòn.c.prudentiam, Extr.de offic.iud.deleg.l.fin.C.de fideicom.* quo facit locus egregius Cai Plinij *in Paneg. ad Traian. Imperat.* vbi (licet in alio ſenſu) Melius, ait, omnibus, quam ſingulis creditur: ſinguli enim decipere & decipi poſſunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerũt. hactenus Plinius. Vnde & Sichard. *in l.8.in princ. C. de iure delib.* tutum eſſe manere cum communi opinione ſcribit. Cui & dn. Herman. Vulteius Præceptor meus *de feud.lib.1 cap.9. nu.94.* conſentit, ab interpretum communi opinione & receptis placitis nec reſpondendo, nec iudicando, ſe putare eſſe recedendum, aiens, quamuis contraria opinio caſu aliquo in puncto iuris forte verior fuerit viſa. In qua porro opinione reperio & Andr. Gail. *lib.*

2.obſ.

Digitized by Google

2. *obſ.39.nu.27.& obſ.94.nu.18.* vbi hoc regulare eſſe dicit. Quibus cum conferri quoq; poſſunt ea, quæ pro hac ſententia congeſſerunt Maſcard. *d. concluſ.1138.* & Laurent. Kirchouius in præfatione, quam communibus Dd. opinionibus præfixit. & Matth. Weſemb. *conſ.88.n.25.part.2.* à communi Dd. & recepta opinione non eſſe recedendum reſpondit, in tantum, vt iudex contra communem opinionem iudicans, imperitus cẽſeatur, & litem faciat ſuam, partique læſæ ad intereſſe teneatur & condemnari poſſit & debeat, per plura ibid. alleg. Cui & Iohan. Sichar. *conſi. 9.nu.120. par. 5.* accedit, dum ait: ſingularem & non communem opinionem qui ſequitur, ex ignorantia iudicaſſe præſumitur. allegat Alexand. & Bar. quos ibi vide. Hæc, inquam, quamuis ita abs Doctoribus noſtris tradita ſint, & inſuper non ignorem, non eſſe facile mutanda, quæ in foro certum vſum interpretationemq; diu habuerunt; *l. minimè, ff. de legib.* vbi omnes hoc notant. Et plus videre oculos, quam oculum, ſicuti vulgò communiter vereq; conſueuit dici: Tantum tamen communi opinioni tribuendum & concedendum ego quidem non exiſtimo, vt vbi euidens eſt ac aperta concludensq; iuris ratio, vel expreſſus aliquis legum textus in contrarium, eo ſpreto & neglecto, (quod verè in receptis illis placitis & communibus DD. opinionibus non raro videmus fieri) cõmunem opinionem, ſed potius (quod pace dictum velim) communem errorem amplecti & ſequi debeamus. Et hac quidem in via nec meis ego ductoribus doctoribusque deſtituor. Nam communi opinioni non eſſe inhærendum, quando probabilioribus melioribusque rationibus atque fundamentis ea conuinci & ſuperari poteſt, iam olim ex noſtris multi docuerunt, quos recenſet Maſcard. *d. concluſ.1138. nu.3. & ſeqq.* Et hoc rationem habet. Siquidem nõ ex numero & multitudine ſcriptitantium communis opinionis autoritas petenda eſt, ſed ex rationibus argumentiſque probabilioribus atq; for-

Digitized by Google

tioribus. Alex. *conſil 202. num. 7. vol. 7.* Anton. Corſetus *ſing. 205. in verb. opinio.* Angel. Aret. *in §. reſponſa prudentum.* Inſtit. *de iur. nat. gent. & ciuil.* Gabriel. Sarain. *in addit. ad ſingul.* Conſe. *d. ſing. 205.* Matth. Mateſilan. *ſing 103. n 2. & ſing. 110. nu 4.* Vnde Ioan. Andr. *in c. 1. Extr. de conſtitut* haud malè ſcriptum reliquit: Nouam opinionem vnius doctoris contra communem in iudicando poſſe teneri, quando eſt melioribus & validioribus rationibus fundata. Quod ipſum & Ioan. Coraſius ſequitur *in l. conſulari, nu. 21 ff. de ſenator.* & refert ac comprobat Franc. Curt. Iun. *conſ. 160. n. 11. part. 2* vbi aſſerit, Doctores communiter ita tenere. Huc porrò faciunt, quæ idem Curtius eleganter ſcribit *in conſ. 63. nu. 3. part. 1.* dum inquit: ſed quia negare non poſſumus, quin plures ſint autoritates pro contraria opinione, puto neceſſariò indagandum, pro qua opinione ſint fundamenta magis ſolida & vrgentia. Si enim probauero communem opinionem poſſe conuinci veris & ſolidis fundamentis; ſuccedit alia vera & communis concluſio, quod licet à communi opinione non ſit diſcedendum, hoc limitatur, niſi opinio paucorum Doctorum vel vnius fundaretur meliori & ſubtiliori ratione: quia illa præponitur communi opinioni. hactenus verba Curtij. Et fortius dixit Bartolus *in l. nemo C. de ſentent. & interloc. omn. iud.* Quod etiam licitum ſit recedere à ſententia Imperatorum; dummodo non fuerit redacta in corpus iuris. Et pari ratione à ſententia gloſſæ nos poſſe diſcedere idem Curt. *d. loco* notat. Et quod cõmunis Dd. opinio poſſit reprobari argumentis & rationibus vrgentibus, tradit pulcre Panormitan *conſil. 1. circa fin.* Atque hoc ipſum eſt, nî vehementer fallor, quod Imperator noſter ſacratiſſimus Iuſtinianus *in l. 1. C. de iur. vet. enucleand.* reſcripſit; dum ibid *ſub §. 6.* ita ait: Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius & æquius eſt, iudicatore, cum poſſit forſitan & deterioris ſententia & multos & maiores in aliqua parte ſuperare. hæc ille. Ex quibus

bus liquidò demonſtratur. Etiam VNIVS Doctoris ſententiam veriorem pluribus congruentibus opinionibus anteferri poſſe & debere. Quò etiam non male applicari poteſt ſententia illa Platonis & Pythagoreorum, qui ſtatuerunt: Tamdiu ſeruanda eſſe Doctorum inuenta, donec inueniantur meliora. Beſſarion. *lib. 2. in calumniatores Platonis, cap 10. in fin.* Quod & ipſa ratio quæ optima lex eſt, *c. ego*, vbi gloſſ *diſtinct. 9.* dictat. Nam intelligentia dictorum ex cauſis aſſumenda eſt, *c. intelligentia, 6. Extr. de verbor. ſignification.* Nec tam QVIS, QVOTVE aut QVI dicant, quam QVID dicatur, ponderandum, *d. cap. ego, diſtinct.* 9. TANTVMq; credendum Doctoribus, QVANTVM probant, Bartol *in l non ſolum, 8. §. ſi liberationis, numero 7. ff. de liberat legat.* Surd *deciſ. 59. numero 1. lib. 1.* Non quatenus nihil probant, vel male allegant. *cap. qualiter, 24. de accuſation.* Euerhardus à Middelburg. *in præambul. topic. ſub finem.* Iohan. Coraſ. *in l origo, in verb. crebrior. numero 3. ff. de offic. quæſtor.* vbi hanc rem bene explicat. Nam Doctori nihil alleganti non creditur, *d. cap. ego.* Bald. *in l. nec publica, C. ex quibus cauſis maior.* Iaſon *in l. illam, columna 3. C de collation.* Marſil. *conſ 136. numero 4.* Bellon. *conſil. 48. numero 7.* Surd *deciſ. Mantua. 335. numero 20. lib. 2. ac d. deciſ. 59. numero* 8. Et quamuis Doctoris ſine lege loquantis autoritas plurimum valeat, velut Caſtren. *in l. mutuum, ff. de acq. hæred.* loquitur, Iaſ. *in l. non eo minus, C. de procur.* Bec. *conſ. 35. n. 18.* In tantum re & rem dubiam faciat. Bar. *in l. qui Romæ, §. duo, n. 9. ff. de verb. obl* Burſat. *conſ. 74 nu. 23.* quos allegat Surd. *deciſ. 58. n.* 8. & ab expenſis ſoleat excuſare, Surd. *d. deciſ. 58. n. 9.* poſt Aſin. *in prax. n. 32.* tamen non concludere per NECESSE, idem Surd. *d. n. 9.* dicit, *per not. ibid.* Quamobrem religioni habendum non eſt, ne iudici quidem, à communi & recepta opinione euidenter falſa, diſcedere, & veriorem, quamuis illa vnius fuerit, amplecti. Panor. poſt gloſſ. *in cap. ſcienter, 3. Extra, de cenſibus.* Vnde non poſſum non magnopere laudare atq; extollere opinionem

præſtan-

Digitized by Google

præſtantiſſimi Iurcconſulti Iohannis Dauth. qui *in tractatu de teſtament.n.28.fol (mihi)59.* in hunc modum ſcribit: Multum erratorum eſt in philoſophia, qua de re Ludouicus Viues ſcripſit. Multum erratorum eſt in Medicina; vt proinde Hippocratici hodie cum Theophraſticis pugnent. Et Ariſtoteles dicit, Rem medicam nil certi habere, id eſt, in concreto. Multũ erratorum eſt in iure. Neceſſe ergo eſt, vt interdum à MAIORIBVS diſſentiamus. Sed id fiat adhibita ἐπιεικεία & grauiter. Reuerenter de omnibus ſentiendum; ſed ita tamen, vt PLVRIS SIT VERITAS. Duo ergo obſeruanda, vbi omninò ab alijs erit diſſentiendum. Primò ne aliter diſſentiamus, niſi aperta veritas nec in contrariam vocet ſententiam. Secundò ſalua reuerentia & modeſtè ab alijs diſſentiendum. hæc Dauth. Confer Matth. Weſemb. *in §. reſponſa.n.5.* vbi & Marig. Salomon. *in ſolenni ſua repetitione illius §. Inſtit. de iure N. G. & C.* & pro pleniori locum intelle-ctum vide quæ elegantiſſime ſcribit dn. Marq. Freh. *lib. 2. de fama publ. cap. fin.* & Henning. Gœdd. *conſ. vlt. quod eſt, de præſcriptione pignoris, nu. 252.* Graſſ. *in d. l. origo, verb. crebrior. num.10. ff. de offic. quæſtor. & in l. ſed licet. 12. nu. 1. ff. de offic. præſid.* Neuizan *in ſylua nup. lib. 5.* Quibus ſic de communi opinione præmiſſis; non ſolum ex illo ipſo § *naturales.* luce meridiana, quod dicitur, clarius apparere dico, ſub generali & indiſtincta locutione OMNES ibi NATVRALES comprehendi, nullis plane exceptis; vt mirari merito quis poſſit, communiter eſſe diſtinctum inter legitimatos per matrimonium ſubſequens, & cęteros, quos principis reſcriptum, vel curię oblatio legitimos facit: cum tamen non modo eadem in omnibus ratio militet, nec diuerſitas condigna & probabilis dari poſſit, quę diuerſum hîc ſtatuere ius ſuadeat: ſed etiam omnibus hoc in ore ſit atque vulgare, Non eſſe noſtrum diſtinguere, vbi lex ipſa non diſtiuguit. arg. *l. de pretio. ff. de publicia. in rem. act.* Surd. *deciſ.77. num.4. lib.1.* per plura allegata. Siquidem

Digitized by Google

dem lex generaliter loquens, intelligi quoq; generaliter debet in omnibus ſuis caſibus, *dict. l. de pretio. l. 1. §. generaliter. ff. de legat. præſtand.* Iaſ. *in l. non dubium, n. 38. C. de legib.* Dec. *conſ. 339. n. 2.* Grauet. *conſ. 272.* Surd. *deciſ. 122. nu. 1.* Etiamſi in vno fortè caſu maior vigeat ratio, quam in alio. *l. 1. §. quod autem. ff. de aleator. l. in fraudem, §. fin.* vbi Bald. *ff. de teſtam. milit* Dec. *conſ. 277.* Grauet. *conſil. 84. n. 13.* Surd. *d. deciſ. 122. nu. 1.* Imò tantum abeſt, *vt d. §. naturales.* ſit intelligendus de legitimatis per reſcriptum principis vel oblationem curiæ, vt fermè de alijs nec poſſit nec debeat accipi, quam qui per ſubſequens matrimonium legitimati ſunt, quemadmodum dn. Anton. Matthæus in notis ſuis *ibid.* haud abſurdè exiſtimat. Quandoquidem feudiſta ita ait: Naturales filij, licet poſtea fiant legitimi, ad ſucceſſionem feudi NEC SOLI, nec CUM ALIIS, admittũtur; hactenus verba textus. Loquitur autem de filijs. Sed hoc extra omnem eſt controuerſiam, legitimator per reſcriptum principis vel oblationem curiæ cum alijs filijs legitimè natis nũquam & nuſquam ad feudi ſucceſſionem admitti. Vnde ſi textus intelligendus eſſet de his, verba illa NEC CUM ALIIS, ſcilicet legitime natos (aliter enim hæc verba accipi non poſſidet; niſi quis textum ita velit extricare, vt legitimati per reſcriptum principis vel oblationem curiæ NEC SOLI, nec CUM ALIIS, hoc eſt, legitimatis per matrimonium ſubſequens, ſuccedant; veluti quidam faciunt; ſed hæc interpretatio abſurda eſt, cum ex ſequentibus & antecedentibus doceri poſſit, comparationem hîc inſtitui non legitimatorum inter ſe, & qua ratione illi inter ſe in feudo ſuccedant; ſed haberi reſpectum ad eos, qui ſunt legitime nati, & quæſtionẽ eſſe, an & quatenus cum his legitimati, quouis etiam legitimandi modo legitimi facti ſint, in feudo ſuccedãt) plane eſſent abſurda & ſuperflua, & minus caute & proprie loquutus fuiſſet obortus, cum neminem infitiaturum putem, alios poſtea filios legitime na-

ſci non potuiſſe, niſi matrimonium ſubſecutum fuerit; vt ita abſurdiſſima inde ſequeretur abſurditas, ſi Obertus voluiſſet *à* diſpoſitione *d.§ naturales.* excluſos atque remotos legitimatos per ſubſequens matrimonium, & incluſos ſolum eos, qui reſcripto principis vel oblatione curiæ legitimi fiunt: cùm dicit: NEQVE SOLOS, neque CVM ALIIS, qui ſcilicet poſt factam legitimationem legitimè nati ſunt, admitti. Quoniam principis reſcriptum vel curiæ oblatio illos tales efficere haud quaquam potuiſſet. veluti oſtendit Iuſtinianus *in Nouella, 89. capitulo nono.*

Quare ſi omninò hîc fuit diſtinguendum, & textus *in d. §. naturales.* ad certum legitimandi modum reſtringendus, non ad legitimatos per reſcriptum vel oblationem curiæ, ſed ad eos qui per matrimonium ſubſequens legitimari ſolent, reſtringi debebit. vide omnino Anton. Matth. *d. loco.* in quo hæc mutuatus ferè ſum. Quin & particula POSTEA inſuperabile probat argumentum, nullo modo hîc diſtinguendum inter legitimatos. Etenim dum naturales indiſtinctè omnes à feudi ſucceſſione excludit feudiſta, addit demum, idem eſſe iuris, etiamſi poſtea legitimati fuerint: hoc eſt, Nullos, niſi legitimos & iuſto ex matrimonio procreatos ad ſucceſſionem feudi admitti; non naturales, etiamſi poſtea, id eſt, poſtquam pater naturalis matrimonium contraxerit cum concubina, vel poſtquam reſcriptum ea de re à principe impetrauerit; vel poſtquam filium ex concubina ſuſceptum curiæ obtulerit; Natalibus reſtituti & legitimati fuerint. Et verò hunc in modum, & non aliter ipſum textum interpretandum res ipſa loquitur. Quomodo enim naturales, quos *à* feudi ſucceſſione excludit feudiſta, potuerunt POSTEA legitimari? Per reſcriptum principis, aut oblationem curiæ dicit communis ſchola. Quaſi verò feudiſta neſciuerit triplicem eſſe legitimandi modum, & quidem præcipuum

Digitized by Google

puum atque principaliorem eum, qui per ſubſequens matrimonium celebratur. Cur autem primum ac principem legitimandi modum feudiſta hîc omiſiſſet; aut quare ita indiſtinćte & generaliter loquutus fuiſſet, niſi & legitimatos per ſubſequens matrimonium *à* feudo voluiſſet excludere, ego quidem non video?

Nec ad rem quidquam facit, ſi à iure ciuili ad feudale arguere velimus, quo quidem legitimati per ſubſequens matrimonium veris legitimis in omnibus & per omnia pares habentur & æquiparantur: quoniam hæc in præſentia non diſputo, cùm de iure ciuili id plane nullam habeat controuerſiam, ſed aliud in feudis dico eſſe: nec hac in parte argumentum *à* iure ciuili ad feudale procedere certum eſt: velut in ſimili conſtat & euincitur in eo, quod fœminæ regulariter in feudis nunquam ſuccedunt; quę tamen de iure ciuili maſculis nequicquam cedunt, aut habentur inferiores.

Sed cum recepta ſit communis opinio, ego contra ſtimulum calcitrare nolo, hoc ſaltem dico, ex ſuperioribus haud ita abſurdè quem colligere poſſe legitimatos ad Aduocati munus, ne eos quidem eſſe admittendos, qui per ſubſequens matrimonium tales facti ſint. per ordinat. Cam. loco relato. Cùm ordinatio indifferenter, indiſtinćte & generaliter legitimos tantum vocet, **Daß ſie nemblich rechter ehelicher Geburt ſeyn ſollen/** & ita omnes, qui tales non ſunt, excludat. per doćtrinam contrariorum, quæ ſe inuicem excludant hac in parte. Sed cum iure ciuili, vbi dićtum eſt ſuperius, legitimati per ſubſequens matrimonium verè legitimis in omnibus & per omnia æquiparentur, Aduocati munus aut iuris ciuilis ſit, meritò & hos ad id ſubeundum admittimus, ne Imperatori iniuriam faciamus, conſtitutionem eius hac in parte non obſeruantes.

In dubio autem quis præſumitur eſſe legitimus, Menoch. *lib. 6. præſumpt. 54. n. 20 cum ſeqq.* Maxime ſi ad honores iam ante & dignitates admiſſus fuerit, velut ſi ſit perſona graduata. Rulan. *de commiſſ. d cap. 7. num. 10.*

CAPVT XVIII.

De Qualitate 2. ſcilicet ingenio. Qualitas in aduocato requiſita.

SECVNDO requiritur in Aduocato ingenium. Roſbach. in Proceſ. *d. tit. 18. n. 9.* cum enim Aduocati munus periculoſum ſit & arduum; Tyraquel. *de retract. lignag. § 1. gl. 9. n. 267. in fin.* poſt Bald *ibi citat.* Neuizan. *in ſylua nupt. lib. 6 nu. 14.* Magna ad id recte ſubeundum & defungendum opus eſt ingenij dexteritate, ſine qua in arduis nemo vnquam ad fælicitatis finē pertingere potuit. velut late docet Ruland *de commiſſ. lib. 1. cap. 8. nu. 3. & ſeq.* vnde merito Pomponius *in l. 2. §. poſt hunc ff. de orig. iur.* Labeonem laudat, quod ſingulari quadam ingenij qualitate, vi, acumine, & ſubtilitate, doctrinæque fiducia fretus, plurima innouare ſtuduerunt. ad quem locum vide Iohan. Coraſ. *in verb. qualitate, nu. 21.* Volens ſignificare abſq; ingenij felicitate & fiducia ad ardua neminem debere adſpirare. Coraſ. *dict. loco.* Et hoc ipſum eſt, nî fallor, quod M. Tullius Cicero alibi dicit; ſæpius ad laudem & virtutem ſine doctrina naturam, quam ſine natura doctrinam valuiſſe. Cic. *in orat. pro Archia poeta.* Naturam autem interpretor ingenium: Natura enim & ingenium adeo ſunt affinia, vt ſæpe vnum pro alio ponatur. Ruland. *d. cap. 8. num. 1.* Quamuis autem ingenium fato contingat, velut Marcell. Palingen. in Zodiaco vitæ, docet. Et cuiuis homini *à* natura inſit. Ruland. *d. cap. 8. n. 11.* Ab arte tamen iurandum & confirmandum eſt. Hinc Cicero *4. de fin.* Etſi, ait, ingenijs magnis præditi quidam dicendi copiam ſine

ſine ratione conſequuntur; Ars tamen eſt dux certior, quam natura. Et idem Cic. 1. *de Orator.* Quæ bona ſunt, inquit, fieri meliora poſſunt doctrina; & quæ non optima, aliquo modo acui tamen & corrigi poſſunt. Quare Aduocatus, licet natura ingenioſus, ingenium ſuum quotidie exercere, acuere & iuuare non deſiſtet; quod quidem tum fiet, quando ante ſuſceptum negotium diligenter ex iure & rationibus, quid in ipſo cauſæ proceſſu ſibi forte obijci & reſipiſcere poſſit, animo volutarit & præmeditatus ſit. Parato enim quid vnquã defuit? ait in ſimili Rul. *d. cap. 8. n. 12.* Et huc pertinet illud, quod Terentius *in Adelph. Act. 3. Scen. 3.* dicit: *Illud eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre; ſed etiam illa, quæ futura ſunt, proſpicere.* Et quoq; hac ratione conſeruatur, & ad quæuis negotia & cauſas vel ex tempore tractandas aptius acutiusque redditur ingenium, cum remiſſius exercitatum, amitti facile & perire ſoleat, iuxta illud Ouidij *lib. 5. de Triſtib. Eleg. 13.*

Adde quod ingenium longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multò, quam fuit antè, minus.

CAPVT XIX.

Tertium requiſitum, De memoria.

MEMORIAM quoque tertio loco in Aduocato requiri dixi. Multarum namq; rerum vſu & experientia ille in cauſis agendis præditus eſſe debet; hæ autem abſq; memoria vix ac ne vix quidem poſſunt acquiri, multò minus retineri; vnde neceſſariò requiritur vt memoria bona valeat. Memoria quippe teſte Cicerone 1. *de Orator.* rerum omnium theſaurus quidam eſt, ex quo, cum volueris, quæ cauſa requirit, deponere poſſis. Atque hæc quidem adeò eſt Aduocato noſtro neceſſaria, vt ſine eius præſidio atq; adminiculo ſumma cum difficultate ſua, & clien-

tis damno atque iactura rebus agendis ſeſe immiſceat. Quid enim prodeſſe poſſit ingenium ſine memoria? Quid rerũ multarum neceſſariarumque multa adſiduaque lectio commodi afferat, ſi deſit memoria? Hæc namque eſt, quæ, quod iudicium invenit, diſpoſuitque, fideliter conſeruat, & vbi vſus neceſſitaſque poſtulat, proferre poteſt: quæ niſi inuentis excogitatiſque rebus & verbis adhibeatur, omnia, etiamſi præclariſſima fuerint, intereunt. Cicer. *1 de Orator.* Hinc Hortenſius, qui in foro Romano cauſarum Rex ob eloquentiam dictus eſt, laudatur, quod tanta in eo fuerit memoria, quanta in viro agnita nunquam ſit. velut Cic. *in Bruto* ſcribit. notat. Theodor. Zwing. in *Theatro vitæ, vol.17 lib.4.* Et ex Iureconſultis atque Aduocatis recentioribus commẽdatur Ludouicus Romanus Pontanus, Iureconſultus excellens, quod tanta fuerit memoria, vt nulli veterum cedere putaretur. de quo Æneas Syluius *lib.1. de geſtis Baſilien. Concilij*, in hęc verba loquitur: Erat enim memor omnium, quę ipſe vnquam aut legiſſet, aut audiuiſſet, nec oblitus erat eorum aliquid. quæ ipſe vidiſſet. Nec, vt cæteri Iuriſconſulti, principia legum in diſputando allegabat, ſed quaſi codicem legeret, ſic textum memoriter referebat. hæc ille. Hinc econtra vitio vertitur cuidam Auguſti Cæſaris Nomenclatori, quod, cum id hominum genus memoria cum primis valere debeat, quo poſſit in foro omnium nomina, cognomina, atque titulos dignitatum, ſi quando opus ſit, hero ſuo ſuggerere, nulla ille prorſus memoria præditus fuerit. Macrobius *lib.2. Saturnal. cap.4* Et hoc quidem eſt, quod Socrates ſolebat dicere; Tantum quemque ſcire, quantum memoria teneret. Eraſm. *in Apophteg. Socraticis lib.3.num.*88 Verum enimuero cum hominis memoria admodum ſit labilis, teſte Papiniano Iuriſconſulto *in l. peregrè 44. in princ ff. de acquirend. vel amitten. poſſeſ.* Gail. *lib.1. obſeruat. 104. nu. 2.* Ruland. *de commiſſ. lib.1. cap.9. nu.7.* atque adeò quidem labilis, vt

vt ægrè reperias duos, qui, quæ ſemel ſimulque audiuerunt, eodem modo referant; Ruland. *d. loco*, quippe memoria, Cicerone teſte *in Caton. maior.* niſi eam exerceas, minuitur: Igitur & Aduocato noſtro hoc erit curæ, qua poſſit ratione memoriam ſuam conſeruare, confirmare, atq; augere, vt tantò felicius, cum fuerit opus, ea queat vti. Namque ea, velut homo, creſcit & decreſcit; oritur & moritur. Sicut eleganter dicit Ruland. *d. cap. 9. n. 8. per l. quidam tabularum §. quid ergo. ff de furt. l. 2. §. penult. ff. de aqua pluu arcen.* Quis autem conſeruandæ augendæve memoriæ modus ſit & ratio, id multis declarat Ruland. *d. c. 9. & ſeqq.* ad quem lectorem remitto.

CAPVT XX.

Quartum requiſitum, de fama bona & illæſa exiſtimatione.

QVARTO requiritur in Aduocato bona fama & illæſa exiſtimatio. Roſbach. *d. tit. 18. numero 1.* Ordinatio Cameræ, *p. 1. tit. 18.* ibi: Jhrer Redlichkeit. item ibi: Jhres weſens vnnd haltens halbens Vt ſcilicet bene apud quoſuis, non male, audiat præſertim verò apud ſuos clientes. Eſt namque fama bona & recta exiſtimatio pro magno atque adeò inæſtimabili bono à ſapientibus ſemper iudicata. velut Magnificus Marquardus Freher. *de exiſtimation. libro ſecundo, cap. 1 numero ſecundo, & ſeqq.* notat. cum & illius ſuauitatem vnguentis ſuauiſſimis & odoribus prætioſis præferendam eſſe ſapientiſſimus & famoſiſſimus ille Rex Solomon dixerit. Et melius eſſe nomen bonum bono oleo ab eodem diſcimus. Eccleſiaſt. *cap. 7.* Quò pertinent quoque, quæ ex Prouerbior. *capit.* 22. legimus; Magis ſcilicet eſſe expetendum nomen honeſtum, quam diuitias multas: argento & auro præſtantiorem eſſe bonam famam. Et quod Syracides præcipit, aiens;

Digitized by Google

aiens; curæ tibi ſit nominis fama, ipſa enim tibi magis proderit, quam mille magni theſauri. Et quod honeſtus rumor alterum dicatur patrimonium, &c. de quibus & aliis vide dn. Freherum *d. loco.* Hinc M. Cicero *lib. 3. Offic.* Non eſt vlla res tanti, ait, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni & ſplendorem & nomen amittas. Et idem Cic. *in Lælio* ait, non eſſe bonam famam negligendam. Et *lib. 4. ad Herenn.* Perditiſſima, inquit, ratio eſt, diligere formam, negligere famam. Vt & 2. *de Orator.* Bona, ait, exiſtimatio pecunijs præſtat. Cic. *lib. 3. de finib.* Eſt, inquit, hominis ingenui & liberaliter educati, velle bene audire *à* parentibus, *à* propinquis, *à* bonis etiam viris. & noti ſunt vulgatiſſimi illi verſiculi Catonis:

Omnia ſi perdas famam ſeruare memento;
Qua ſemel amiſſa poſtea nullus eris.

Quod ipſum & à Iureconſultis noſtris ita ſcriptum nouimus. Nam vitam & famam paribus paſſibus ambulare, & inde crudelem eſſe, vitamq; videri negligere, qui famam ſuam negligit, ex *l. iuſtè.* & ibi gl. *in verb. infamia, ff. quod met. cau.* conſtat. cui adde Andr. Alciat. *conſ. 2 n. 6. lib. 7.* vbi honoris cauſam & vitam æquiparari dicit. Quare danda diligẽtia Aduocato opera eſt, vt hominum aures de ſe honeſto ſermone compleantur. Quod quidem ſicuti omnibus omninò hominibus cordi eſſe debet, velut ſuperius docuimus; ita vel inprimis Aduocato noſtro; quippe qui præ alijs in loco conſpicuo atq; eminenti poſitus, nõ ſolum propriæ famæ honoriſq; rationem habere, ſed & alijs exemplo eſſe debet. Nec verò hoc requiſitum ſine ratione huc poſitum eſt. Etenim qui patrocinium alijs præſtare, ſuæque defenſionis viribus ambigua cauſarũ fata ſiue facta dirimere ſibi habet propoſitum, is certè talis vti fiet, qui & iudici & parti ſuam fidem integritatemq; probet, neceſſum omninò eſt; vt ſcilicet ab hoc amari, coli, ſuſpici; ab illo verò audiri, & ſæpius admitti, ſuiſque

dictis

Digitized by Google

dictis fidem fieri mereatur. Nam Aduocato viro malo, & qui ſemel falſa pro veris, aut aliena pro pertinentibus iudici ſuppoſuit, etiam poſt vera dicenti fides deeſt; & videtur is Advocatus malæ cauſæ argumentum, velut eleganter Fab. Quintil. *lib. 12. Inſtit. Orat. cap. 1. verſ. frequenter notat.* Et porrò, cum non minima aduocationis pars in eo ſita ſit, vt Aduocatus clientibus ſuis ritè conſulat, cauſamq;, qua poteſt ratione, probatam iudici reddat. vtique neceſſum neceſſariò eſt, ac conducit maxime, vt vir bonus ille ſit, & illæſa fama atq; exiſtimatione petiatur. Quandoquidem bonis viris, & fama bona præditis facilè & libenter credi ſolet; Nobiliſs. Freher. *de exiſtimat. lib. 2. cap. 4. n. 1. verſ. ſecundus.* cum nulla ſit in ijs fraudis iniuriæve ſuſpicio. Cicerone teſte, qui alibi ait: In virum bonum non cadere mentiri emolumenti ſui gratia; criminari, præripere, fallere: vnde & gloſſa ſing. & notab. *in l. Titio. verb. actiones, ff. de cond. & dem.* tale ponit dogma, ſeu, vti noſtri loquuntur, ſingulare: QVOD CREDENDUM SIT BONO VIRO. quam quidem gloſſam Bartolus mente tenendam dicit, ſicuti dn. Freher. *d. loco* notat. Ergo conſequitur Aduocatus noſter, ſi fuerit vir bonus, primum hoc; quod conſulenti cliens, agenti iudex credat, eiusque verbis fidem det: cum econtrà malo viro Aduocato falſitatis ſemper ſuſpicio obſtet, & ei, vera licet proferenti, fides deſit. Quintil. *relato loco.* Secundò & hoc conſequitur ipſa pars litigans, quæ Aduocato vtitur viro bono, & integra fama valente, quod licet cauſa (vt ſcilicet ſunt incerti atq; dubij litium euentus & exitus. *l. quod debetur. ff. de peculio.* Surd. *deciſ. 22. nu. 10. lib. 1.*) vel in totum, vel pro parte cadat, *à* calumnia tamen, Marquard. Freher, *d. cap. 4. n. 7. &* 8. & non raro expenſarum condemnatione (quam victi victoribus regulariter coguntur perſoluere. *l. properandum, §. ſin autem. C. de iudic. l. 2. l. 5. C. de fruct. & lit. expenſ. cap. litibus.* Extr. *de dolo & contum.* Gail. *lib. 1. obſeru. 152.* Roſbach. *in proc. tit. 78. n. 1.*) excuſetur, Surd. *deciſ.*

 58. n. 9.

Digitized by Google

*58.n.9.lib.*1.poſt Aſin.*in prax.§.32.*Dd.ordin.*in l.1.§ ſi ſtipulanti.ff. de verb.obl.*cum iuſtam cenſeatur habuiſſe litigandi cauſam, qui viro bono credidit,per notata à dn.Freher.*d.c.4. nu.5.& 6.*quippe quod dictum legalis, notabilis & boni viri adeo præbeat iuſtam credendi cauſam,vt etiam exindè iudicetur iuſtus titulus, ſufficiens ad præſcriptionem,velut Bart.docet *in l.non ſolum.§.morte.ff.de nou.op.nunc.*& Bal.*in l.iudicia.ff.de vend.* quos refert D. Freher.*d.num.6.*iuſtam autem litigandi cauſam ab expenſarum condemnatione excuſare,nemini dubium eſt.*per c.finem, de dolo & cont.*Dd.*in d.l.properandum.* Vnde Men.*de præſum.lib.2.præſ.72.n.41.*ex hac ratione,in dubio eos ſequendos eſſe Doctores monet,qui grauiores ſunt & maioris autoritatis.per alleg.*ibid.* Ante omnia autem caueat ſibi Aduocatus noſter, ne ob auaritiam, & nimiam turpemq́; clientum ſuorum emūctionem apud alios malè audiat.Nam improbum eſt,inquit Cic.3.*Offic.* relinquere honeſtatem,propter vtilitatis magnitudinem,de quo ipſo infra in 7.qualitate ſeu requiſito latius dicatur. Et verò ſuperius annotatum aliquoties eſt, infames & qui vitæ morumq́; turpitudine notati ſunt,à nobili hoc Aduocationis officio longè arceri & repelli,vt repetere id hoc loco ſit extra propoſitum & heterogeneum.Sit ergo Aduocato opinio cordi, ſibiq́; ille caueat, ne malè audiat,ſed non tantum crimine,verumetiam criminis ſuſpicione omninò vacare, illudque poſſit obtrectatoribus & momis obijcere:

—Hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi,nulla palleſcere culpa. Et illud:
Integer vitæ ſceleriſq́; purus,
Non timet Momi rabidúmve dentem
Nec venenatas ſolitam ſagittas
Mittere linguam.

Sed de hoc famæ requiſito plus ſatis.

CAPVT

CAPVT XXI.

Quintum Requiſitum: De pietate ſc. & veræ religionis cultu.

QVINTO ergo requirimus in Aduocato bono PIETATEM & VERAE atq; ſinceræ religionis cultum. Pietas namq; omnium virtutum fundamentum eſt. Cic. *pro Planc.* & impietas econtrà omnem ex animo peccandi metum euellit. Althuſius *in Polit. cap.* 22. Pietati ſumma tribuenda laus eſt. Cicer. *2. de Orat.* Impijs verò apud inferos ſunt pœnæ præparatæ. Cic. *2. de inuen. & Philip. 14.* Pietas omnibus amori eſt. Cicer. *in Epiſt. Fam.* Impio verò nemini bene eſſe poteſt. Cicer. *Paradox. 2.* Pietas grata eſt Deo. Cic. *2. de leg. & 1. de nat. deor.* At impij Deorum nomen horrent. Cic. 1. *de fin.* Nî ergo Aduocatus noſter pietati cumprimis ſtuduerit, veræq; religionis cultu Deum coluerit, foro eijciendus prohibenduſque omninò eſt. Cicer. *Philip. 13.* Impius ſiquidem, quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat, ex numero hominum eijciendus & finibus humanæ naturæ exterminandus eſt. velut Cic. *relato loco* dicit. Quomodo enim fidem ille clientulo ſuo ſeruabit, qui ſuperos inferoſque contemnit? dum omni ex animo abiecta & relegata religione atque pietate per fas & nefas quicquid collibitum eſt, moliri non dubitet? Pietate aduerſus Deum ſublata, fides etiam & ſocietas generis humani, & vna excellentiſſima virtus IVSTITIA tollatur, neceſſe eſt, inquit Cicer. 1 *de natur. Deor.* Quomodo ergo Aduocatus impius & atheus tolerari poſſit, non video, quem cumprimis IVSTITIAM COLERE conuenit; quippe CVIVS SACERDOTEM SE PROFITETVR eſſe. *l. 1. in pr. ff. de iuſt. & iur.* Et hanc quidem qualitatem in Aduocato expreſſis verbis requirunt Impp. Leo & Anthem. *in l. nemo. C. de poſtul.*

dum neminem in forum & conſortium togatorum ſiue Aduocatorum recipi debere reſcribunt, niſi ſit ſacroſanctis catholicę religionis myſteriis imbutus. Quod ipſum & ordinat. Cameræ Imperialis hodie exigit. *p.1.tit.18.* Pet. Denaiſ. in iure Cam. *d.tit.* *232.nu.2* veluti iam ſupra à me eſt annotatum.

CAPVT XXII.

Sextum Requiſitum: De humanitate Aduocati.

SExto requiritur in Aduocato humanitas. Eſt enim Aduocati officium, læſis opem ferre: patronum egenis clientibus adeſſe; præſtare opem ſupplicibus; excitare & cōſolari afflictos; erigere & ſuſtentare ſuppreſſos, dare ſalutem ciuibus, liberare à periculis homines; & in genere, defendere atque tueri omnes. Quod quidem abſq; humanitate & manſuetudine efficere nulla ratione poteſt. Qui namq; auſterum, durum, inaffabilem, inacceſſibilem, nullarumque horarum hominem clientulo ſuo ſe facit; is profectò afflicto afflictionem addit; quo facto nihil crudelius, nihil magis impium atq; ingenuum eſſe, Proſper Farin. *conſ. crim. 27. n. 6.* dicit: tex. clarus. & ibi gloſſ. *in l. tam dementis. 28. in fin.* his verbis: ne tale hominum infortunium; etiam expenſarum detrimento prægrauetur. *C. de epiſc. audient.* adde Ceph. *conſ. 336. n. 35. vol. 3.* vbi dicit, hoc iniquiſſimum & impiiſſimum eſſe. accedit Menoch. *conſ. 80. n. 31. lib. 1.* vbi ſimiliter iniquiſſimum, & peſſimi exempli eſſe dicit, afflictionem afflicto addere. Quod & Riminal. *conſ 18. nu. 15. lib. 1.* ſequitur; impium hoc & inhumanum aſſerere. Et apud Burſat. *conſ. 277. n. 23. lib. 3.* pariter hoc impium & valdè iniquum eſſe legimus. Et eleganter And. Gail. *lib. 1. obſ. 18. nu. 5.* Nihil dicit eſſe magis contrarium rationi, quam calamitati addere calamitatem, & afflictioni afflictionem; niſi afflictio

veniret

Digitized by Google

veniret ex culpa afflicti, puta ex eius forte delicto. *l. capitalium. §. ſolent. ff. de pœn l. 1. ff. de iur. patron.* Bart. *in d. l. tam dementis. C. de epiſc. audient.* Et Iohan. Meichſner, in deciſ. Camer. Imp. *tom. 1. deciſ. 4. n. 4.* dicit, ne afflictus magis affligatur, interpretationem mitiorem & benigniorem aſſumi, & duriorem ceſſare debere; & *nu. 5.* ne afflicto, inquit, addatur afflictio, viros in dubio aliqualiter poſitos, aliquid cõniuere poſſe. Ideo & Speculator Aduocatum admonet, vt verba dulciſſima proponat. *tit. de aduocat.* Nihil ſibi tam gratum eſſe, quam humanitatem, Iuſtinianus profitetur. *in l. præſens. 57. in prin. C. de epiſcop. & cler.* & idem *in l. ſi vnus. C. de dona. inter vir. & vxor.* ait, nihil tam eſſe peculiare principi, quam humanitatem, per quam ſolam Dei ſeruatur imago. Quod ipſum & Cicero docuit, homines ad deos nulla, aiens, re propius accedere, quam humanitate. Cic. *in Orat. pro Ligar.* & idem *1. de offic.* inquit, nihil eſſe laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & humanitate. Vnde & huic virtuti additum noſtrum Aduocatum eſſe non ſine ratione volumus.

CAPVT XXIII.

Septimum Requiſitum: De moderatione Aduocati.

SED ad moderationem, ſeptimam in Aduocato noſtro requiſitam qualitatem accedamus. Ea quatuor hiſce capitibus abſoluitur: vt ſcilicet Aduocatus ſit TEMPERANS IN VICTV: MODESTVS IN AMICTV: ÆQVVS IN EXIGENDO SALARIO: ET ANIMI MODERATI ATQVE SEDATI IN PRÆSTANDO PATROCINIO. Temperantiam in victu exigimus propterea, quo melius ſtudiis ſuis ille vacare, & rebus agendis aptior & agilior eſſe poſſit. Namq; & animo & corpore vt laboret Aduocatus, præſertim ſi paulò difficiliorem cauſam ſuſceperit

perit defendẽdam neceſſum cum primis eſt: vt ergo ambo hæc & corpus ſcilicet & animus poſſint conſeruari & refici, non autem opprimantur prorſus vel corrumpantur, moderatione ſiue temperantia in victu opus eſt. Namque omnium perturbationum fons & origo intemperantia eſt, quæ eſt *à* tota mente, etiam *à* recta ratione defectio, ſic auerſa *à* præſcriptione rationis, vt animi appetitiores nullo modo vel regi vel contineri queant. Cic. *4. Tuſculan.* & idem *5. Tuſculan.* Mente, ait, recte vti non poſſumus, multo cibo & potione completi. Et in Catone Maior. Tantum, ait, cibi & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Helluationes itaq; pergræcationesque crebras fugiat Aduocatus noſter, per quas cumprimis amitti bonam valetudinem compertum paſſim eſt. Sciat, ſe OPORTERE ESSE, VT VIVAT; NON VIVERE, VT EDAT: velut eleganter Cic. *4 ad Heren.* loquitur. Quo pertinet ſcitum illud & elegans reſponſum Iouiani Pontani, qui vno ſemper ferculo, eóque parciſſimo, contentus cum eſſet, rogatus cauſam; *Cibo*, inquit, *abſtineo, vt à me Medici.* Innuens, & ipſe ſcilicet Medicus, valetudini nullum eſſe hoſtem capitaliorem ipſa intemperantia. Zwing. *in theat. vitæ vol. 7. lib. 2.* vnde Gail. *li. 2. obſ. 110. n. 24.* ebrios vitam edormire ait. & eſt textus ad hoc expreſſus *in c. à crapula.* Ext. *de vita & hon. cler.* cui conſonant, quæ Prouerb. *c. 20.* & Eccl. *c. 37.* ſcripta ſunt. Vt ergo bonam valetudinem poſſit cõſeruare, ſuoq; officio cum laude & vtilitate tum publica tum priuata defungi Aduocatus noſter, hanc virtutem, *Temperantiam*, ſcilicet, ſibi crebrò ob oculos ponat, inq; ſuo muſæo adpictam indefeſſis oculis inſpiciat & contueatur. De Bartolo, ſummo illo iuris anteceſſore, legimus, quod ad pondus comederit, biberitque, quo intellectus acumen foueret. Forſter. *de hiſt. iur. ciu. lib. 3. c. 27. n. 11.* Et eſſe veriſimile, ait Ioh. Fich. in eius vita, quod plus olei, quam vini conſumpſerit. Suo certe laudandus merito, quo conſecutus

ſecutus hoc eſt, vti tot celebres ediderit lecturas, quę nunquam intermori ipſum ſinent. Hæc autem non eò dicuntur à nobis, quaſi abſtemium velimus eſſe Aduocatum, & nunquam exporrigere frontem? Abſit hoc! ſcimus vinum acuere ingenium, & agile illud reddere, alereq; ! pellere triſtitiam! addere animum! Quod Ouidius innuit *lib. 1. de Arte.*

——Vina parant animos.

Et ſapiens Eccleſ. *c. 19.* ait: Sanitas eſt animi & corporis ſobrius potus. Et idem eodem loco; Exultatio, ait, animæ & cordis vinum moderate ſumptum. Et notanter adque noſtrum inſtitutum idem *cap. 31.* inquit: Sufficiens eſt homini erudito vinū exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo Et Plutarchus autor eſt, vinum conferre ad eloquentiam. Conceſſus eſt itaque Aduocato vſus vini, ſed moderatus, non nimius, de quo latius videre potes apud Rul. *de commiſſ par. 1. lib. 1. c. 23.*

Secundò circa moderationem requirimus, vt Aduocatus *modeſtum ſe gerat in veſtitu.* Ne veſtibus vtatur indecoris inconuenientibusque. Debet enim eſſe Aduocatus vir grauis & autoritate pollens; & inde cauere, ne leuitatis poſſit coargui, quæ plærumq; ex veſtibus dijudicari ſolet. Namque vt auem ex pennis, ita virum ex veſtibus cognoſci, commune & in vulgus notum eſt Prouerbium. Et talis quiſq; præſumitur eſſe, qualem veſtes indicant & demonſtrant. Hinc Vlp. Si quis, ait, virgines appellaſſet, ſi tamen ancillari veſte veſtitas, minus peccare videtur: multò minus ſi meretricia veſte fœminæ, non matronarum veſtitæ fuiſſent. *l. item apud Labeonem. 15. §. ff de iniur.* Hinc & vulgares illi verſiculi noti ſunt:

Vir benè veſtitus, pro veſtibus eſſe peritus,
Creditur à mille, quamuis idiota ſit ille.
Si careat veſte, nec ſit veſtitus honeſtè,
Nullius eſt laudis, quamuis ſciat omne quod audis.

Et ex-

Et exempla habemus, quæ teſtantur, ex veſtibus non raro iudicium de veſtito eſſe deſumptum, velut de magno illo Deſ. Eraſ. refert Theod. Zwing. *in Theatro vitæ, volum. 5. lib 6.* vnde & Menoch. *de præſumpt. lib. 3. præſ. 64. nu. 4.* dicit; ſigna veſtimentorum perſonæ qualitatem ſignificare. De quo ipſo & Alex. ab Alexan. *lib. 5 genial. dier. cap. 18.* latius tractat. Certè veſtitus rationem aliquam habendam eſſe in benè conſtituta Republ. nemo negabit. Nam & apud Priſcos tum Græcos tū Romanos diſtinctionem atq; differentiam hac in re ſanctè fuiſſe ſemperq; obſeruatam, ex Alex. ab Alexandro *relato in loco* diſcimus. Et hoc ipſum non ſemel in Imperio Romano ſancitū eſſe, ex receſſibus, quos vocant, Imperij cōſtat. velut Abſchied zu Augſpurg/ Anno 1500. tit. von vnordentlichen köſtlichen Kleydung. itèm, Reformirte vnd gebeſſerte Policey/ zu Franckfurt Anno 1577. auffgericht. titul. 9. von vnordnung vnd köſtligkeit der Kleyder. quibuſcum conferenda, quæ ſcribit Petr. Denaiſ. *in iure Camer. titu. 173.* Olim quidem Aduocatos togis vſos ex reſcripto Diuorum Leonis & Anthemij *in l. nemo. C. de poſtulan.* colligere licet; vbi Aduocatorum collegium conſortium vocāt togatorum. Qui mos etiamnum hodie in Parlamentis, quæ vocant, ſiue curijs Regni Galliæ, Hiſpaniæ, Burgundiæ, & alijs ſeruari noſcitur, vbi Aduocati veſte talari amicti in publicum prodire conſpiciuntur. Verum circa veſtes Aduocatorum certa regula dari nequit, ſed Regionis & Curiæ cuiusq; mores obſeruandi & attendendi ſunt. per notat. Specul. *tit. de aduocat. §. de aduocatorum veſtib.* Franciſcus Marc. *deciſ. delphin. 651. n. 4 par. 1.* Magon. *de rect pat. rat. cap. 3. n. 37. par. 1. c. quiſquis, diſtinct. 41.* dummodo hoc ſciamus, vſum veſtium *à* Deo conceſſum nobis nō ad ſuperbiam, ſed ad peccatorum noſtrorum, & noſtræ malitiæ recordationem & reminiſcentiam, adq; corporis velationem & defenſionem contra vim & immanitatem frigoris & caloris, *Geneſ. 3.* Vnde ad neceſſitatem, non elationem

Digitized by Google

tionem & ſuperbiam eo conuenit vti. *c. 1. cauſ. 21. q.* 4. Decet tamen Aduocatum noſtrum veſte vti decora, pura, ornata. Spec. *ad Rubr. de aduocat. c. pen. in fin. diſtinct. 24.* Magon. *c. 3. n. 36. par. 1. de recta patr. rat.* nec ſordes in veſtimentis affectare, prout nonnulli exindè gloriolam, neſcio quam, ſe conſequuturos ſibi perſuadēt, ſi vel Socratem, vel Demoſthenem, vel alium aliquem Philoſophum hac in re æmulentur. de quibus exaudiendum illud Prouerbiale: *Barba tenus ſapienter*, de quo Eraſm. *in Adag. Chil. 1. cent. 2. adag.* 95. quæ etiam alludit Horatius, dum ait:

Juſſit ſapientem paſcere barbam.

Et Martialis:

Propendet mento nec tibi barba minor.

Licet enim iuſtitia non conſiſtat in veſtium ornatum, nec habitus Monachum, *Clem. 1.* vbi Cardin. *de ſtat. Monach.* Felin. *conſil. 29.* Magon. *de rect. patr. rat. c. 3. n. 29. part. 1. per c. 1. diſtin. 40.* aut barba Philoſophum faciat, vti in Prouerbio eſt, & Plutarchus olim dixit, non πωγωνοτροφίαν aut τριβωνοφορίαν, hoc eſt, nec geſtatam longam barbam, aut geſtatum pallium Philoſophum facere. Eraſ. *Chil. 1. cent. 7. Adag. 6.* Non tamen prodeat in conſpectu iudicis Aduocatus, niſi in habitu decenti. Idq; ad honorem & dignitatem ipſius iudicij, iudicisque & ſeruandum decorum. *l. 1. in prin. ff. de poſtulan.* Specul. *d. loco. nu. 3.* Neque enim negari poteſt, quin mores, inceſſus & habitus ſe inuicem concomitantur. *c. at clerici, de vit. & honeſt. cler.* Dec. *in c. cùm in cunctis. n. 8. de elect.* Corporis enim incompoſitio mentis inducit & arguit qualitatem. Mago. *d. c. 3. n. 33.* Et hoc ipſum ordinatio quoq; Cameræ requirit *p. 1. ti. 8.* Von Kleydung vnd anderm Wandel der Beyſitzer/ dum ait: Es ſollen auch inſonderheit die Beyſitzer/ in betrachtung daß ſie von der Keyſerlichen Majeſtät/ auch Churfürſten/ Fürſten vnnd Ständen deß H. Römiſchen Reichs an ſolch hoch Juſtitien geordnet/ vnd an jrer ſtatt ſitzen/ mit **zierlicher ehrlicher Kleydung**/ auch ſonſten

Digitized by Google

allem Weſen vnd Wandel/vor andern alſo ſtattlich/erbarlich/vnd dapfferlich halten vnd erzeigen/ꝛc. Damit ſie/ꝛc. Qui quidem textus non minus de ipſis Aduocatis atq; Procuratoribus exaudiendus eſt, vt & illi ad dignitatem & decorum ſummi illius iudicij conſeruandum & augendum, decoris veſtibus vtātur, quod vel ex particula illa, Inſonderheit/euincitur. Nam vis & natura illius vocabuli Inſonderheit/cumprimis, præcipuè, ante omnia, ea eſt, vt caſum ſpecialiter incluſum, cæteris anteponat & præferat, *l.1.§ fi.ff.de offic.procur.Cæſar.* notat. *Coraſ.in Rubr ff.ſol.matr.n.12.* vnde cum dicit ordinatio, daß die Beyſitzer inſonderheit ſich ſollen zierlich in Kleydung halten/nec eo excludit cęteros Camerales perſonas, ſed potius includit, cum verba illa vim comparatiui habeant, & idem ſonent, ac ſi dictum eſſet, ſie ſollen ſich zierlicher halten/als andere/ꝛc. Gradum autem comparatiuum ſemper & vbiq; includere poſitiuum, ex iure notum eſt, *l.vbi autem ff.de V.O.* Bar. *in l.cum filius,§.pater,ff de legat.2.* late Surd *deciſ.65.n.8.12.& 13.lib.1.* vbi plura allegat. Sed de veſtibus Aduocatorum plura, qui vult, legat apud Specul. at Franciſc. Marc. *ad locis.* quibus addatur Iohan. Baptiſta Magon. *de recta patron. rat.c.3.per tot.* vbi de habitu & veſtitu Aduocatorum præter cæteros complura congeſſit, & inter alia & de colore Aduocatos decente verba facit, & ſub *num.50.& 51.* nigrum colorem in veſtibus magis conuiens eſſe concludit, quod firmitatis ille & perſeuerātię ſignum ſit, quippe qui variari & mutari non poſſit, prout cæteri variari poſſunt, quem vide omnino. Tertium, quod circa moderationem in Aduocato requirimus, eſt æquitas in exigendo ſalario. Qua prohibetur auaritia & αἰσχροκέρδεια, id eſt, turpilucrum. Debet enim Aduocatus noſter eſſe contentus medioeri ſalario, vel à iudice ſibi conſtituto taxatoq;, vel pro modo laborū & operæ præſtitæ ad æqualitatem redacto & commenſurato. Nam improbum eſt, vt Cicero *3. Offic.* relinquere honeſtatem propter vtilita-

tilitatis magnitudinem. Et hoc eſt, quod Ord. Cam. Imp. præſcribit *p. 1. tit. 46.* von Beſoldung der Advocaten vnd Procuratorn. his verbis: Wir ſagen ordnen vnd wollen auch/ daß hinfüro die Advocaten vnd Procuratorn in allen vñ jeden Sachen/ was jnen durch Cammer Richter vnd Beyſitzer taxirt wird/ zubelohnen ſich benügen laſſen/ vnd die Parteyen darüber nicht weiter beſchweren / noch einig ſonder geding mit jhnen deßhalben machen ſollen / in kein weiß: Wo ſie aber ichts darüber von Parteyen genommen oder empfangen hetten/ das ſollen ſie jhnen widergeben / vnd das alles zuhalten in jhrem Eyd ſchweren. Vnd damit in ſolchem Tax nicht allein die gröſſe der Producten/ ſonder auch vnd vielmehr der fleiß vnd die geſchickligkeit eines jeden Advocaten angeſehen vnd der billigkeit nach die Tax beſchehen mögen/ wollen wir / daß hinfüro durch die beyde Referenten in einer jeden Sachen alsbald inter referendum die Schrifft vnd Producten/ durch ſie gezeichnet vnd beſchrieben werden. Hactenus Ord. Et conſtat auß Churf. Pfaltz Hofgerichts Ord. *ti. 13.* Daß die Advocaten/ mit deme/ ſo jnen für jhre mühe vnd arbeit von Hofrichtern vnd Räthen geordnet vnd taxirt wird/ zufrieden ſeyn/ vnd darvff er anfänglich vnter andern ſchweren muß. Vnde non eſt licitũ Aduocato de quota litis cum cliẽte paciſci. Vlp. Sumptus quidem, ait, prorogare litigandi honeſtũ eſt: paciſci autem vt non quantitas eo nomine expenſa cũ vſuris licitis reſtituatur, ſed pars dimidia eius, quod ex ea lite datum erit, non licet. *l. 53. ff de pact.* vbi gl. Bart. Ang. Fulg. Caſtr. Iaſ. & Dd. comm. omnes. Et Conſtant. Imp. Si qui Aduocatorum, ait, exiſtimationi ſuæ immenſa atque illicita compendia prætuliſſe ſub nomine honorariorũ ex ipſis negotijs, quæ tuenda ſuſceperint, emolumenta ſibi certæ partis cum graui damno litigatoris & deprædatione poſcẽtes fuerint inuenti; placuit, vt oẽs, qui in huiuſmodi ſęuitate permanſerint, ab hac profeſſione penitus arceantur. *l. ſi qui. 5. C. de poſtul.* & Valent. & Val. Impp. *in l. quiſquis. 6. §. 2. C. eo. tit.* præterea, aiunt, nullum cum eo litigatore cõtractũ, quem in propriã recipit fidem,

Digitized by Google

Ineat Aduocatus: nullam conferat pactionem. concordat *l. ſi contra 20. C. mandat l. nec quicquam 9. §. circa aduocatos. ff. de offic. procons. l. litem. 15.* vbi Salicet. Alex. & Iaſ. *C. de procurator. l. ſi remunerandi 6. §. fin. cum l. ſeq.* vbi Fulgoſ. & Salic. *ff. mandat.* Iohan. Sich. *in l. creditori. 5. n. 2. & 5. C. de pact. & in d. l. litem. n. 4. C. de procur.* Pet. Rebuff. *ad conſtit. Regn. Gall. tract. de reſciſ. contr. in præfat. n. 29.* Franciſc. Marc. *deciſ. delph. 19. n. 1 part 1. & deciſ. 479. n. 1. & ſeqq. par. 2.* Arius Pinel. *de reſcind. vendit. part. 2. l. 2. cap. 2. n. 33.* Guido. Pap. *deciſ. Grationop.* Dn Marq Freher. *de exiſtimat. lib. 3. cap. 13 n. 2.* Proſper. Farin. *in praxi crimin. tit. de variis & diuerſ. crim. quæſt. 106.* vbi fuſiſſime hanc ipſam quæſtionem ſiue materiam paciſcentium de quota litis pertractat, allatis in medium viginti duabus ampliationibus, & limitationibus ſiue fallentijs octo, quas ibid. videre licet. Confer eundem Farin. *conſil. crim. 70. nu. 1. & mult. ſeqq.* Weſemb. *in paratit. ff. de poſtul. n. 8.* Ordin. Cam. Imp. *p. 1. tit. 46.* Churf. Pfaltz Hofgerichtsordnung/ tit. 7. §. dergleichen. & tit. 13. ibi: von den Partenen kein ander Sold oder Gab fordern. Iacob. Ayrer. *in proceſſ. hiſtor. p. 1. c. 1. obſ. 7. n. 4.* Niſi pro ſalario ſeu honorarijs modicis pactum initum fuerit dn. Freher. *d. n. 2.* Franc. Marc. *d. deciſ. 19. n. 2. p. 1. & d. deciſ. 479. nu. 3. p. 2.* Ratio autem huius prohibitionis duplex afferri ſolet, quarum prima eſt, quod hac ratione multi efficiantur redemptores litium, & ad calumniæ crimen inuitentur, dum omnia excogitant, quibus vel iure vel iniuria aduerſarium vincant, vt tandem promiſſo ſibi præmio fruantur, ſcientes ſe nihil habituros, niſi ſuperent in cauſa. Cyn. Alex. Iaſon. Bellapert. Fulgoſ. & Sichard. *in d. l. litem, C. de procurat.* Farinac. *d. quæſt. 106. n. 2.* poſt plures ibid. allegat. Iacob. Ayrer. *d. obſ. 7. nu. 4.* Menoch *de arbitr. iud. quæſt. lib. 2. cent. 6. caſu 522. n. 4.* Hugo Donell. *in l. pacta quæ contra. n. 16. C. de pact.* Franciſc. Conan. *lib. 5. commen. iur. ciuil. c. 5. nu. 5.* Altera ratio eſt, quia Aduocatus procurator & ſollicitator cauſæ non inducitur in ipſa cauſa, vt parti-

ceps.

ceps iuris, ſed vt adiutor & locator operis & artis ſuę per rectum conſilium & patrocinium. Quare ad reprimendam eorundem cupiditatem & turpe lucrum, non abs re prohibitum iure eſt, ne de ipſa quota litis paciſcantur. hanc rationem ponit Iacob. Menoch. *d. n. 4.* poſt Turrecremat. *in c. infames, §. arceantur. 3. q. 7.* Quomodo autem quis de quota litis paciſci dicatur, & qua quibuſq; modis tale pactum fiat, late tradit Menoch. *d. caſ. 522. nu. 5. & ſeqq.* vbi omnino vide. An verò licitum & conceſſum ſit paciſci aliquid in caſum victoriæ? vide pleno calamo diſcuſſu apud Farinac. *d. quæſt. 106. ampliat. 21. n. 33. & ſeqq.*

Pœna autem paciſcentis de quota litis eſt infamia. dn. Freh. *d. n. 2.* cum remotione ab officio. *d. l. 5. C. de poſtul. c. infames. § arceantur. 3. q. 7.* dn. Freher. *d. loco.* Farinac. *d. quæſt. 106. nu. 3.* poſt alios ibi citatos. Verùm an hîc opus ſit ſententia iudicis? Non vna de hoc omnium opinio. Sunt qui ſine vlla præambula ſententia ipſo iure Aduocatum tali in caſu priuari dicunt. Vetus gl. *in d. l. ſi qui Aduocatorum, in verb. arceantur, C. de poſtuland.* vbi iura concordantia habet. Plotus *de in lit. iur. §. 16 num. 8. verſ. & priuantur.* Virg. Boccat. *in tract. de pact. part. 3 nu. 60.* Alij verò contra ſententiam requirunt. Alberic. *in d. l. ſi qui aduocatorum, n. 3. in fin.* Turrecremat *in d. c. infames, in verb. arceantur.* Placet hîc conciliatio Farinacij *in d. quæſt. 106. n. 6.* Quod neceſſaria quidem ſit ſententia, ſed non ſuper priuatione, verum ſuper declaratione delicti; ſequuta autē declaratione, ipſo iure venit priuatio. per doctrin. Salicet. *in dict. l. ſi qui aduocatorum, colum. fin. verſic.* quæro an hæc priuatio. Velut in ſimili dicimus, prodigo ipſo quidem iure interdici bonorum adminiſtratione, ſed opus nihilominus eſſe ſententia declaratoria, qua omnibus fiat manifeſtum, talem eſſe prodigum, vt ita ſibi cauere poſſint, ne cum ipſo contrahant, *l. 1.* vbi gl. & Dd. com. *ff. de curator. furioſ.* Sunt & aliæ pœnæ Aduocati de litis quota paciſcentis, velut quod ad duplum vel qua-

M 3 druplum,

druplum, pro ratione circumſtantiarum, tenetur: Quod non poteſt repetere litis expenſas, quas fortè de ſuo fecit: Quod actionem mandati, quam habet regulariter, perdit: Quod in dolo eſſe dicitur, & ideò aduerſus eum iuratur in litem ſuper expenſis, damnis, & vires eſſe: Quod tenetur pœna falſi, ſc. de quibus omnibus, vt & alijs vide plene per Farin *d. q. 106. nu. 7. & ſeqq.* Et verò, quæ de Aduocatis dicta hactenus ſunt, ea & de Procuratoribus ſunt exaudienda, in quibus non ſolum tale pactum reprobari, ſed etiam locum habere priuationis pœnam voluerunt B. I. Alberic. Pau. de Caſt. Sal. Iaco. de S. Georg. Bellapert. Bart. Ang. Alex. Odof. Iaſ. Fulg. Sichard. & gloſſ. quos omnes allegat Farin. *d. loco. nu 16.* per tex. expreſ *in l. ſalarium, ff. mandat.* & ordin. Cam. Imp. *relato in loco.* Quod tamen verum eſt de procuratoribus in litem, qui cauſam alienam in iudicio agunt; ſecus de procuratoribus ad negotia, quemadmodum poſt Bertran. *conſ. 160. n. 1. lib. 4.* diſtinguit ſæpedict. Farin. *d. loco, nu. 17.* Quartò requiritur circa ſeptimam hanc qualitatem in Aduocato, vt ſit ſedati & moderati animi in præſtando patrocinio. vbi hoc cumprimis obſeruandum eſt, vt diſcat cohibere affectus, ne ira, odio, auaritia, gratia, metu, aut ſimili affectu, contra quam fas aut ius eſt, quid committat, néve vel linguæ vel calami lubrico labatur aut peccet, quo vel ſe vel clientes ſuos in calamitates inducat. Necque enim vel iudici maledicere licitum, fortè ſi præter votum ac ſpem & expectationem in iudicio ille aduerſum ſe ſuamque partem elocutus quid eſt; ſed memorem hîc potius decet eſſe, dubios eſſe atque incertos litium euentus, atque inde moderatè omnia ferre, etiamſi in cauſa prorſus ſuccumbere contingat, *l. quæſitum. §. cum enim, ff. de legat. 3.*

Nec conceſſum, parti aduerſæ inſultare conuiciáve dicere. Vltra enim, quam cauſæ neceſſitas atque vtilitas poſtulat, in licentiam conuiciandi & maledicendi temeritatem prorumpere bo-

te bonum Aduocatum haud decet. *l. quiſquis, §. ante omnia, 1. C. de poſtuland.* vbi gloſſ. & Doct. Oldrad. *conſ. 53. nu. 3.* Roman *conſil. 96. verſic. imò quod plus eſt.* Surd. *deciſ. Mantua. 89. num 25. & 26 lib. 1* dn Marq. Freher *de exiſtim. lib 3. cap. 13. n. 4.* niſi infamiam & opinionis ſuæ imminutionem, *d. l. quiſquis. 6 ante omnia. verſ. nam ſi quis, C. de poſtul.* dn. Freher. *d. c. 13. n. 3. & 4.* cum priuatione officij, & fori interdictione, ſi graues ſcilicet ſint iniuriæ commiſſæ, quis pati & ſuſtinere velit. *d. l. quiſquis.* quò pertinet, quæ notanter ad hanc rem ſcribit dn. Freher. *d. cap. 13 n. 5.* vbi docet infamia etiam notari Aduocatum, ſi erga iudicem loquendo inuerecundus, iniurius, importunusq; ſit, quem omni honore & reuerentia afficere debebat. per not. ibi. Vnde nec conuicio appellationem fieri debere idem ibid. notat, alioquin appellãtem iniurium infamia notari. *per l. iudici. 42. ff. de iniu.* vbi Pau. ICtus, Iudici, ait, ab appellatoribus conuicium fieri non oportet, alioqui infamia notantur. Et Vlp. *in l. 8 ff de appel.* ait: Illud ſciendum eſt, eum qui prouocauit, non debere conuiciari ei, à quo appellat; cæterum oportebit eum plecti, & ita Diui fratres reſcripſerunt. hæc ille. Spec. *in tit. de aduoc. §. iam nunc dicam in pr.* abſtinendum eſſe ab Aduocato, ait, ne ſcilicet quidquam contra partis aduerſæ Aduocatum proferat inſolentius, ſed eum benignè tractet; niſi tamen alter ad minus decenter aliqua prorumpat. Poſſe tamen Aduocatum, ſi iuſtæ cauſæ patrocinetur & adſiſtat, aduerſarium ſuum cauillationibus & fallentiis decipere, Alciat *conſil. 6. n. 3. lib. 7.* & Andr. Tyraquel *de retractu lignag. in præfat. n. 71.* notant. & Mynſing. *cent 3. obſerua. 6.* dicit; quod Aduocatus fouens iuſtam cauſam, poteſt etiam conuincere aduerſarium ſuum cum malitia, eumque circumuenire, vt ſuccumbat, per gloſ. ſingul. *in cap. dominus noſter.* in gloſſ. 1. 23. *quæſt. 2.* adde Hippolyt. de Marſilijs *ſingular. 77.* vbi dicit, malitijs hominum obuiandum, & ideò aduerſus calumniantem, ſe cum calumnia, quemuis

tueri

Digitized by Google

tueri poſſe: quod exemplo illius, qui quod reuerum reddiderat mutuum, etiam cum iuramento affirmauit ſe à petitore nunquam habuiſſe, probat. Quod exemplum etiam Ant. de Butr. *in cap. 1. de mut pet.* refert, velut Mynſing. *d. loco* notat. Et Phil. Dec. *in l. ea eſt natura cauillationis, n. 3. ff. de reg. iur.* inſuper ſcribit, Aduocatum hoc modo aduerſarium ſuum decipientem benefacere. Quod tamen alijs aliter viſum eſt. Nam & idem Alciatus *in d. l. natura cauillationis, n. 6.* ſed inquit, an huiuſmodi cauillationibus vti Aduocatum deceat? Et graui viro conuenit nunquam vti. Nec enim debet quis de victoria magis, quam de veritate eſſe ſollicitus: quoniam id vitium, vt Cicero inquit, maximè contra prudentiam eſt. hæc ille ibi. Et poſt interuallum: Magno Chriſtianæ Reipubl. detrimento receptiſſimum apud omnes eſt, inquit, licere Aduocato bonam cauſam falſis rationibus tueri, & fraude fraudem trudere. Imò pro conſilio proditum eſt, plurimas ſemper rationes iudicibus afferendas, veriſq; falſas immiſcendas, cum indocti plærique, qui iuſto argumento fidem non adhibuerunt, futili moueantur, hactenus verba Alciat. Et Ioan. Gœddeus Præceptor meus *in eadem l. natura cauillationis, axiom. 3. num. 8.* reſpondens *ad d. cap. dominus noſter.* quod ab aduerſa parte pro fundamẽto & baſi locatur: Intelliguntur, inquit, eo loci inſidiæ, non dolo malo factæ, ſed ſtratagemata, quæ belli iure iuſta ſunt. At togatum bellum, fallaciam, fraudem, machinationem, mendacium, & ſi id genus ſunt alia, improbat, cum dolo non careant, nec ſtratagemata exiſtimentur, hæc ille. Et verò poſterior hæc opinio & verior, atq; iuri æquitatiq; videtur magis eſſe conformis. Nam Iuſtinianus Aug. *in l. rem non nouam, 14. §. 1. C. de iudic.* Patroni autem cauſarum, ait, qui vtrique parti ſuum præſtantes auxilium ingrediuntur, cùm lis fuerit conteſtata, poſt narrationem propoſitam, & cõtradictionem obiectam, in qualicunque iudicio maiore vel minore, vel apud arbitros, ſiue ex

compro-

compromiſſo ſiue alter datos vel electos, ſacroſanctis Euangeliis tactis iuramentum præſtent, quod omni quidem virtute ſua, omnique ope, quod VERVM & IVSTVM exiſtimauerint, clientibus ſuis inferre procurabunt, nihil ſtudij relinquẽtes, quod ſibi poſſibile eſt, non autem credita ſibi cauſa cognita, quod improba ſit, vel penitus deſperata, vel EX MENDACIBVS ALLEGATIONIBVS compoſita, ipſi ſcientes prudenteſque mala conſcientia lite patrocinabuntur. hactenus ille. Et eiuſmodi quoque cauillationes in ordin. Camer. prohibentur. *p. 1 tit. 23.* vbi cauetur: Daß ein jeder Procurator vnd Advocat Schimpffwort oder ſonſt vndienſtliche vnd vnnütze Reden ſich enthalten / auch niemand weder Schrifft- noch Mündlich ſchumpffiren / ſondern ſeine Sachen züchtig / kürtzlich / vnnd mit dienſtlichen Worten oder in Schrifften vortragen ſoll. vide Denaiſ. iur. Cam. *tit. 233. n. 14.*

Sed & in hoc ſibi nouerit temperare Aduocatus noſter ne clienti ſuo cauſæ victoriam temerè promittat. Spec. *tit. de aduocat. nũc tractamus. verſ. caueat.* Quia dubius eſt litis euentus. *l. quod debetur. ff. de pecul.* nec victoria in Aduocato eſt, ſed in iudice. *l. 1. ff. de abolition.* nec ſemper laborem ſequitur effectus. *cap. niſi cum. §. quippe de renunc.* Nec eſt in Medico ſemper releuetur vt æger, velut Ouid. alibi canit. nec debet quis ſe certum aſſerere, vbi certus eſſe non poteſt. *c. cum contingat, de reſcript.* Iohan. Fichard. *conſ. German. 20. n. 5.* adde Farinac. *prax. crim. tit. de var. ac diuerſ. cri. quæſt. 111. art. 12. nu.* 284. vbi dicit, vtplurimum hæc fieri, vt Aduocati, qui fortè iudicem amicum habent, accepta pecunia clientibus ſuis fauorem iudicis & ſententiam fauorabilem promittant, à quibus vt ſibi caueant iudices, admonet. Sed & de hac qualitate, Moderatione ſcilicet, dictum ſit ſatis.

N CAPVT

CAPVT XXIV.

Octauum Requiſitum, de fidelitate Aduocati.

OCTAVO requiritur in Aduocato, VT CLIENTI SVO SIT FIDELIS. Nam in Aduocato maxima cumprimis requiritur fidelitas, vt partem ſeu clientem ſuum in iudicio, quantum quidem in ſe eſt, defendat atq; tueatur. Ioh. Roggeræus Throchæus *in tract. de offic. indic. in cauſis capital. ad l. aut facta. ff. de pœn. in verb. & infida aduocationes.* Quo pertinet quod notanter & eleganter Fab. Quintilian. *lib* 12. *Inſtitut. orator. cap.* 1. in hunc modum ſcribit: Quemadmodum non omnibus, qui fuerint manu prompti, viri fortis nomen conceſſerim, quia ſine virtute non poteſt intelligi fortitudo: ita nec facto illo Aduocati nomine donabimus quemuis, qui ad defendẽdas cauſas aduocatur, niſi FIDE CLARVERIT, quem nec cupiditas corrumpat, nec gratia auertat, nec metus frangat, nec turpe lucellum à veritatis tramite ſecedere cogat. hoc Quintil. Sit ergo Aduocatus noſter fidelitatis fideiq; nomine conſpicuus. Et ad hanc quidem fidelitatis claſſem referenda primò eſt TACITVRNITAS in Aduocato, quæ certè vel primas hîc merito obtinet. Vnde diſcat Aduocatus continere labra, ne forte ſecreta partis ſuæ alijs reuelet in perniciem clientis. Nec enim debet pandere & manifeſtare alijs, quæ ſibi ſecretò iniuncta & commiſſa ſunt, ſine licentia & conſenſu domini, *cap.* 1. *de nou. fidel. form. c. ego. de iniur.* aliàs in pœnam falſi incidit. *l.* 1. *§. is qui. ff. ad leg. Cornel. de falſ. l. ſi quis.* 38. *§. ſi quis. ff. de pœn.* Carol. de Graſſis *in tractat. de exception. cap.* 24. *num.* 83. poſt Iacob. de Beluiſ. *conſil.* 91. *num.* 3. Petr. Iacob. de Aurel. *in practica ſua. tit. de action. contrar. mandat.* Et dicitur præuaricator. *l.* 1. *ff. de præuaricator.* cum ibi notat. à Bartol. Franciſc. Marc. *deciſ.*

Delphin.

Digitized by Google

*Delphin.640.num.2 part.*1. Ordinat. Camer. Imper. *par.1.tit.64.* ibi: Auch Heimligkeit vnnd Behelff / ſo ſie von den Parteyen erfahren / oder vnterrichtung der Sachen / die ſie von jhnen ſelbſt mercken werden / jhren Parteyen zu ſchaden niemands offenbaren. Churf. Pfaltz Hofgerichts Ordnung. *tit.13.* ibi: Der Parteyen Geheimnuß vnnd Behelff / ſo ſie von jnen empfahen / oder ſonſt erlernen / jnen zu nachtheil niemand öffnen. Quæri autem hoc loco circa hanc ſecreti reuelationem non abs re in genere poteſt, an & quatenus quis ea, quæ ſecretò ab aliquo ſibi ſunt commiſſa, in iudicio vel extra iudicium reuelare & notificare teneatur, fortè ſi in teſtem ab alio euocetur producatúrve? de qua eleganti & practicabili quæſtione vide conſilium Laurentij Kirchou. inter conſilia varia Francofurt. edita. *tom.2.conſ.3.* vbi hanc quæſtionem ex fundamentis tractatum habes. Secundo loco ad hanc fidelitatis materiam refertur & id, quod de Aduocato PRÆVARICATORE & cum aduerſa parte colludente, in iure & apud Doctores ſcriptum legimus. *tot. tit. ff. de præuaricat.* vbi gloſſ. & Doctores. dominus Marquardus Freherus *de exiſtimat. d. cap.13. num.7.* Farinac. *in prax. crimin. tit. de inquiſit. quæſt 4. num.15.* Matth. Weſembec. *in paratit. d. tit.* Iacob Menoch. *de arbitr. iud. quæſt. lib.2. cent.4. conſ.323.* Caueat ergo ſibi Aduocatus noſter ne prodita ſua cauſa aduerſarium quouis modo adiuuet, & ita ex vtraq; parte conſiſtat. Weſembec. *d. loco.* Etenim qui hoc facere tentauerit, non leuiter certe puniendus venit. Farinac. *d. quæſt.4. num.15.* Nam & infamiam incurrit, *l. athletas. § item præuaricator. ff. de his qui notan. inf. l.4. ff. de præuaricat.* Farin. *d.n.15.* Menoch. *d conſ.323. num.8.* Weſemb. *d. nu.2* dn. Freher. *d.c.13. nu.7.* & ab aduocandi munere repellitur. *l.5. ff. de præuar.* Weſemb. Farin. & Meno. *dictis in locis.* Atq; erga dominum etiam actione mandati ad damna & intereſſe tenetur. gl. ad Rub. *ff. de proc.* vbi Iaſ. *n 2* Far. *d.n.15.* Men. *d.n.9.* Et pœna quoq; extraordinaria iudicis arbitrio iuxta facti & perſonarum

Digitized by Google

ſonarum qualitatem punitur. Menoch. *d. n. 8.* Farin. *d. n. 15. verſ. quartò. & n. 18. argum. l.* 1. *l. 2. l penult. ff. de præuaric.* Dd. in Rub. Ext. *de calumn.* vbi Felin. *num. 3.* dn. Freher. *de exiſtim. lib. 3. cap. 14. in fin.* Hinc Boſſius *tit. de præuaricat. num. 2.* refert, ſe vidiſſe Mediolani quendam cauſidicum ob præuaricationis crimen multatum in bonorum publicatione & exilio ad tempus. Et Bolognet. *in Authen. habita. n. 303. C. ne filius pro pat.* tradit. Aduocatum oſtendentem iura clientuli ſui parti aduerſæ damnandum eſſe in metallum, vel deportandum in inſulam. Et Menoch. *d. caſu 323 n. 6.* Ex Gellio & Plutarcho refert de Demoſthene, quod ob crimen præuaricationis in 50. talentis damnatus, & in carcerem ire iuſſus fuerit. Quod Iuſtinus Trogus *lib. 13.* his verbis conteſtatur: Eodem tempore Demoſthenes Athenienſis Orator pulſus patria ob crimen accepti ab Harpato auri. hæc ille. Demoſthenes enim, cum prius acerrimè Harpati cauſam oppugnaſſet, cum viginta ab eo accepiſſet talenta, altera die qua rurſus agendum ea de re erat, lana collo circumuoluto ſynanchen ſe pati fingebat; tum è populo exclamaſſe vnum feruat, non ſynanchen ſed argynanchen eſſe. Commentator ad Iuſt. locum citat. Sed & hodie in Camera Imp. pœnam præuaricationis arbitrariam eſſe conſtat ex text. in Ordinat. *p. 3. tit. 53. §.* Ob ſich aber. vbi dicitur: Ob ſich aber auß der Parteyen fürbringen/ oder ſonſten ſoviel befinden würde/ daß der Vrtheiler einer oder mehr in ſolcher Sachen von Geſchenck/ Miedt/ Gaab/ Bitt/ Freundſchafft/ Feindſchafft oder andern dergleichen Vrſachen ein nichtig vnd vngerecht Vrtheil geben: oder da die Procuratores von der Gegenparthey dergleichen Miedt/ Schenck oder Gaab genommen/ oder in andere weg prævaricirt/ oder ſonſten in offenem Betrug befunden würden/ ſol der Partheyen nicht allein jhr erlegt Geld vnd Straff widerumb zugeſtellt/ ſondern auch dieſelben/ darumb/ wie ſich gebürt/ zubeklagen/ vnd gegen den Vrtheilern das Syndicat/ inmaſſen hernach vermeldt/ fürzunehmen/

fürzunehmen/vorbehalten ſey/ vnnd nichts deſto weniger durch die Keyſerliche Majeſtät oder jhrer Lbden vnd Keyſerlichen Majeſtät abweſens/ vns als Römiſchen König/ gegen den Vrtheilern/ oder durch das Cammergericht gegen denſelben Procuratorn/ vmb ſolche jhre betrügliche argliſtige Handlung gebürliche Straff fürgenommen werden. hactenus ordin. Cam. Et notat Denaiſ. *tit. 245. §. 7 in verb præuaricatione detecta. & tit. 271 §. 9.* Idem quoque hodie per conſtitut. crimin. Caroli V. ſancitum legimus *art. 115* his verbis: So ein Procurator fürſetzlicher gefährlicher weiſe ſeiner Partey in Bürgerlichen vnd Peinlichen Sachen zu nachtheil/ vnd dem Widertheil zu gut handelte/ vnd ſolcher Vbelthat überwunden würde/ der ſoll zuforderſt ſeinem theil nach allem vermögen ſeinen Schaden/ ſo er ſolcher Sachen empfecht/ widerlegen/ vnd darzu in Pranger oder Halßeyſen geſtellt/ mit Ruthen außgehauwen/ deß Lands verbotten/ oder ſonſt nach gelegenheit der Mißhandlung in andere weg geſtrafft werden. Vide Nicol. Vigel. *ibid. in annotat. ſuis.* Moueri autem hoc loco quæſtio ſolet ſanè perquam elegans & notatu digna, an videlicet Aduocatus, qui viſis & didicitis clientuli ſui ſcripturis documentis & probationibus, videt illum iuſtam cauſam non fouere, reſtituta mercede accepta, in aduerſam partem ſecedere, & cauſam aduerſarij iuſtiorem defendendam ſuſcipere poſſit, abſque nota & pœna præuaricationis? ſanè And. Alciat. *in l. præuaricatores, 212. nu. 3. ff. de verb. ſignif.* de hac quæſtione ſic ſcribit: Sane exiſtimauerunt aliqui, eum Aduocatum, qui viſis alicuius iuribus, aduerſæ parti acceſſit, cum priori renunciaſſet, præuaricatorem non eſſe: non enim cauſam prodit, qui aperte aduocatum ſe negauit: quod & ipſe probo, dum ſciamus, qui cauſæ alicuius ſecreta iam cognouerit, non debere in alias partes tranſire, quoniam ea aduerſariis prodens, lege Cornelia falſi coercetur. Quid ergo ſi nihil ſecreti in cauſa, ſed omnis quæſtio iuris eſt? Et licere ei defendere, quem ſciet iu-

ſtiorem cauſam habere, verius eſt, dum tamen honorarium, quod ab alio cauſæ tuendæ gratia accepit, reſtituat. hactenus Alciat. Verum Farinac. *d. quæſt. 4. num. 16* poſt Boſſ. & Ruland. *à* Valle. quos allegat & ſequitur, iuridicam quidem hanc Alciati declarationem, ſed periculoſam valdè eſſe ſcribit, & quidem melius dici, poſſe iſto caſu Aduocatum ſeu Procuratorem, reſtituta mercede ſuo clientulo, qui minus iuſtam cauſam fouet, illi ſuum patrocinium denegare, non tamen aduerſarium adiuuare. per allegat. *ibid.* Et hanc poſteriorem opinionem, & veriorem & iuſtiorem ego exiſtimo eſſe. Nam & in genere à Marciano Iuriſconſulto reſponſum eſt; falſi pœna teneri coerceriq; eum, qui inſtrumenta alterius alteri manifeſtauerit. *l. 1. §. 6. ff. ad legem Cornel. de falſ.* vbi dominus Dionyſ. Godofred. *in not.* dicit, licet lex in depoſitario loquatur, idem tamen eſſe & in procuratore, & in cognitore, qui aduerſario litis inſtrumenta prodidit. Quod ipſum & *à* Paulo in recept. ſentent. *lib. 5. tit. 25. §. ſi quis inſtrumenta.* obſeruatum eſt; ſi quis inſtrumenta litis ſuæ à procuratore vel cognitore aduerſario prodita eſſe conuicerit, tam procurator, ait, quam cognitor, ſi humiliores ſunt, in metallum damnantur: ſi honeſtiores, adempta dimidia parte bonorum, in perpetuum relegãtur. hæc ille. quod & iiſdem verbis repetitum legimus *in l. ſi quis aliquid. 38. §. ſi quis inſtrumenta. 8. ff de pœn.* Vnde equidem conſtat, non eſſe plane vacuũ & immunem a crimine vel ſaltem ſuſpicione præuaricationis, qui vel in minimo aduerſum clientem ſuum parti aduerſæ patrocinatur. Vt taceam iure quoq; cautum eſſe, Aduocatum, qui ſemel cauſam ſuſcepit defendendã, non poſſe ſine iuſta & probata cauſa eandem deſerere. tex. expreſſ. & ibi gl. & Dd. *in l. properandum. §. illo. C. de iud.* vbi Sichard. *n. 3.* adde Menoch. *de arb. iud. quæſt. lib. 2. cen. 5. caſu 494.* Franc. Marc. *deciſ 646. n 3.* Vt ita nulla poſſit dari ſufficiens & condigna ratio, quare Aduocato cõcedi debeat, vt cau-

ſam,

Digitized by Google

ſam, quam ſemel ſuſcepit defendendam, deſerat, & ad alteram partem tranſeat; cum certè id non abſq; graui & præſenti deſertæ partis præiudicio & damno fieri cuiuis, nemine etiam iudice, conſtare poſſit. Aut enim Aduocatus hoc in caſu, quæ *à* prima parte edidicit, contra eandem, & pro ſecunda parte, quam poſtremo ſuſcepit defendēdam, allegabit & contorquebit; aut ad minimũ ea ſilentio inuoluet, & præteribit tacitus. Nam tertium hîc dari non poteſt. At vtrumuis horum fouerit, graui eſt certè repræhēſione & pœna dignus; nam primo caſu & præuaricator eſt & detector atq; reuelator alieni ſecreti manifeſtus & indubitatus: altero vero & poſteriori caſu non facit, quę bonum virum & Aduocatum fidelem ac pium decebat facere, cum nō omnia alleget, quæ ad obtinendam pro parte ſua victoriam pertinere videbātur, reticendo videlicet ea quæ ab altera & aduerſa parte didicit. Reſcriptum quidem à Iuſtin. eſt, Aduocatum iurare debere, cauſam, cum iniuſtam illam & iniquam depræhenderit, etiam in medio curſu ſe deſerturum. *l. rem non nouam, §. patroni. C. de iud.* Verum vt relicta & deſerta ex cauſa iniuſtitię vnius partis defenſione & patrocinio, ad alterā & aduerſam partē tranſire poſſit vel debeat; id verò nullibi in iure proditũ vel legimus, vel lectum ab altero hactenus audiuimus. Et verò hæc ipſa opinio expreſſis verbis confirmatur in Churf. Pfaltz Hofgerichts⸗Ordnung. *tit. 7. §. 3.* vbi dicitur: Es ſoll aber kein Procurator (ſimilis ratio eſt in Aduocato) wider die Partey / die jhme jhre Sachen entdecket / ſich gebrauchen laſſen. Sondern welche Partey jnen zum erſten anſprechen wird / derſelben ſol er zuwillfahren vnd zuprocurirn verbunden ſeyn. Et *§. 4.* ſubdit: da er auch von einer oder der andern Parteyen / in Sachen zureden vnd zu dienen angenom̃en / vnd darin̄ zu handeln angefangen hette / ſo ſol er bey derſelben Parteyen bleiben / vnd in angenom̃enen Sachen folgends biß zum ende trewlich / vmb gebürliche Belohnung dienen / vnd ſich darvon nit abſondern / noch ſich derſelben entſchlagen.

An

An autem Aduocatus, qui pro vna parte conſuluit, poſſit pro alia & aduerſa parte ſimiliter conſulere? vide Farinac. *d. quæſt. 4. n 16.* vbi dicit; Quod licet diſputando dici poſſit, quod Aduocatus, qui pro vna parte conſuluit, poſſit & pro altera conſulere contrarium, ſi opinionem mutauerit, vel ex facti qualitate, vel quia melius conſiderauit iura partis ſuæ, & videns ſe prius conſuluiſſe pro eo, qui non fouet ius, debeat omninò illius partem & defenſionem deſerere, poſſitq; pariter contrariæ parti & defenſioni adhærere, ſecundum veram & cōmunem opinionem: de honeſtate tamen hoc nullo pacto fieri poſſe, permittẽdúmve eſſe, & ideò tanquam ab igne Doctores à tali conſultatione cauere ſibi debere. hæc Farin. Hinc in Cam. Imperial. ordinatum legimus: Daß kein Advocat oder Redner einiger Partey in jhren Sachen rathen ſoll/dieſelbige Partey wol jhnen dann zu einem Advocaten oder Redner in den Sachen auffnehmen. Ordin *p. 1. tit. 19. in princ.* Ex quo diſcimus, Aduocatum qui hodie pro vna parte conſuluit, cras ea relicta non poſſe pro contraria conſulere. Et hactenus de fidelitate Aduocati.

CAPVT XXV.

Nonum Requiſitum, in quo requiritur vt ſit veritatis ſtudioſus, non amans mendacium.

SEQVITVR ex ordine requiſitum nonum, quod vult, vt Aduocatus ſit ἐνάσμος, ἀληθινὸς, veridicus, amans & ſtudioſus veritatis, & ἀψευδὴς, non dicens vel proferens mendacium. Debet namq; Aduocatus eſſe vir bonus; vnde non conuenit eum dicere mendacium. Mentiri ſiquidem non eſt boni viri. Cic. 3. *Offic.* Hinc Iuſtinianus Imp. iurare Aduocatos vult, quod VERVM & IVSTVM eſt clientibus ſuis inferre, MENDACESQVE ALLEGATIONES

Digitized by Google

GATIONES fugere. *d. l. rem non nouam. §. patroni. C. de iudic.* Cui accedit Churfürſtl. Pfaltz Hofgerichts Ordnung. *d. tit. 13. in verb.* Vnwarheit. Propterea non niſi quæ vera ſunt Aduocatus proferat: Nullum dicat mendacium. A calumnijs & cauillationibus prorſus abſtineat: Non peruerſè leges & fundamenta iuris alleget: Non falſa pro veris iudici partive ſuæ ſupponat: Et in ſumma vni & ſoli veritati adhæreat, & mendacia cane peius & angue, quod dicitur, oderit Nam ſi ſemel falſa pro veris dixerit ſcripſeritve, verendum eſt, ne poſtmodum, etiam vera dicenti ſcribentive fides non habeatur. Sic namq; Fab. Quintil. *lib. 12. inſtitut. Orator. cap.* 1 ait: Aduocato viro malo, & qui ſemel falſa pro veris iudici ſuppoſuit, etiam vera dicenti fides deeſt. Et in ſimili Cicero *pro Caio Rabir,* dicit: vbi quis ſemel peierarit, ei credi poſtea, etiamſi per plures deos iuret, non cõuenit. Et *pro Fonteio* idem Cic. Si qui, ait, ob emolumentum ſuum cupidius aliquid dicere videatur, ijs credere non conuenit. Et quamuis mentiri cuiuis ſuo periculo liceat. Marcus Mantua, *ſingul. 609. n. 1.* in tantum, vt & mendacium, quod nemini nocet, non ſit puniendum, etiamſi quis iudici mentitus fuerit. arg. *l. ſi ex eo, 12. ff. quod falſo tut, curat. geſt.* vbi Bald. & Nobiliſ. Dionyſ. Godofr. notant. Velut & falſum ſiue falſitas, quæ nemini nocet, impunibilis eſt. velut *à* Carolo Ruino, *conſ. 17. n. 9. vol. 4.* notatum eſt. Attamen cũ nihil turpius ſit ipſo mendacio. *Cic. 1. Offic.* quippe quod periurium cum mendacio non rarò concurrere ſoleat; cum qui mentiri nõ erubeſcit, *à* periurio etiam haud abhorrere credendus ſit, teſte Cicerone, qui pro Roſcio Amerin. Qui ſemel, ait, *à* veritate deflexit, hic nõ maiore religione ad periurium, quam ad mendacium perduci conſueuit. Et quæ pœnæ diis immortalibus periuro, hæc mendaci conſtituta eſt: non enim ex pactione verborum, quibus iuſiurandum compræhenditur, ſed ex perfidia ac malitia, per quam inſidiæ tenduntur alicui dii im-

O mortales

mortales iraſci & ſuccenſere conſueuerunt. hactenus Cic. Loquar autem de eo mendacio, quod cum dolo & propoſito fit. Duo enim ſtatuo cum Polyb. *lib* 11. mēdaciorum genera; vnum quod fit per ignorantiam; alterum quod ſtudio profertur. Et illis, qui per ignorantiam aberrant *à* veritate, ignoſcendum dico; qui verò ſtudio mentiuntur, implacabiliter ſuccenſendum. Igitur Aduocatus mendacium non dicat, falſas allegationes fugiat, ſolam ſinceramq; facti veritatem, & qui inde promanat, iuris candorem bona fide & abſq; fraude ac dolo ſequatur, quo & fidem mereri, & præter infamiam falſi quoq; reatum effugere poſſit. Nam falſas leges allegans punitur pœna falſi. Bart. *in l. ſi quis. 33. n 1.* per illum tex. *ff. de falſ.* vbi Modeſtin. ait: Si quis falſis cōſtitutionibus, nullo autore habito, vtitur, lege Cornelia aqua & igni ei interdicitur. hęc ille. Sed nec abrogatas antiquatáſve leges ac conſtitutiones allegare citra fraudem atque falſi criminationem conceſſum eſt, velut Dd. *in d. l. ſi quis.* vnanimiter docent. Vti nec fraudem legi facere. *l. contra. 29. l. fraus. 30. ff. de legib.* vbi Iohan. Coraſ. *in not.* hoc eſt, verborum aucupiis alio, quam oportet, ſenſum ipſius legis deflectere, vel ex callido verſutoq; animo rationem falſam elicere. Ioh. Coraſ. *in l. 10. ff. de iuſt. & iur.* Quo loco quæri non abs re ſolet, quid faciendum Aduocato, quando pendente adhuc lite, & cauſa in medio curſu verſante, noua forte lex ſuperinducitur contraria vel derogatoria ei, quā tempore motæ & in iudicium deductæ litis obſeruare ius erat? Certè hoc in caſu & Aduocatus citra falſi crimen veterem abrogatamq; legem allegabit, prætermiſſa ea, quæ nouiter inducta eſt; & ipſe quoq; iudex in iudicando eādem tenebitur ſequi, non attento, quid nouæ legis introductum nuper fuerit. arg. eorum quæ *ad d. l. ſi quis. 33. ff. ad l. conu. de falſ.* Dd. commentati ſunt. vbi dominus Godofred. *in notis lit. B.* receptum eſſe teſtatur, vt & de appellatione cum cognoſcitur, ſecundum illas leges iudi-

candum

candum ſit, quæ tempore prioris ſententiæ obtinebant, non ſecundum eas, quæ poſtea ſunt promulgatæ. Et hoc rationem habet. Legis ſiquidem natura eſt, vt ſoleat futuris negotiis formam dare, & ideo non ad vetera ſeu præterita, ſed ad noua tantum & futura protendi debet. Sic enim Theodoſ. & Valentin. Imperatores, Leges, aiunt, & conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotiis, non ad facta præterita reuocari; niſi nominatim & de præterito tempore & ad his pendentibus negotiis cautum ſit. *l leges. 7. C. de legib.* Et ijdem Impp. *in l. 3. eod. tit.* aiunt: Leges vt generales ab omnibus æquabiliter in POSTERVM obſeruentur. Et Gregorius 9. Pontif. Quoniam, ait, conſtitutio Apoſtolicæ ſedis omnes adſtringit, & nihil debet obſcurum vel ambiguum continere; declaramus conſtitutionem, quam nuper ſuper præferendis in perceptione portionis maioribus, & conſuetis ſeruitijs à minoribus exhibendis, dedimus, NON AD PRÆTERITA SED AD FVTVRA TANTVM extendi; cum leges & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, niſi nominatim in ijs de præteritis caueatur, *c. fin. extr. de conſtitut.* vbi Canoniſtæ ſimiliter hoc notant, gloſſ. *in c. licet. in verb. de cætero. de elect. in 6.* Iohan. Coraſ. *in l. non dubium. §. 1. in verb. tam veteres. n. 12. C. de legib.* And. Gail. *lib. 2. obſeru. 9. n. 3.* vbi dicit: Quoties noua conſtitutio aliud circa negocij ordinationem vel cõtractus diſpoſuit, tunc ſemper mores & conſuetudines, quæ tempore contractus extiterunt, non quæ poſtea introducuntur, conſiderari debeant, quia futurorum contrahentes ſcientiam habere nequeant. per doctri Bald. *in d. l. leges. n. 2.* gloſſ. *in d. c. licet.* Bartol. *in l. omnes populi. n. 39. ff. de iuſtit. & iur.* Anton. de Butr. *in d. c. fin. de conſtitut. num. 15.* vbi & Felin. *num 2.* Innocen. *in c. 2. eod. tit.*

Digitized by Google

CAPVT XXVI.

Decimum Requiſitum, De ætate Aduocati.

CIRCA ætatem quoq; decimo loco requirimus in Aduocato noſtro, vt nec ſenectute nimia grauatus, nec nimis quoque iuuenis, ſed in media ætate ille ſit conſtitutus. Oportet namque Aduocatum cumprimis eſſe laborioſum; ſed ad perferendos labores ætas ſenilis minus iudicatur idonea. Ruland. *de commiſſ. lib.1.cap.12. n.10 part.1.* text. expreſſ. *in c. magna deuotionis.7. Extr. de voto & voto redempt.* vbi dicitur, ſenilem ætatem vix labores & dolores ſuos tolerare poſſe. Et ibi gloſſa marginalis de ſenibus loquens: ideo, ait, præſumuntur eſſe mortui. Nam vt Terent. *in Phorm.* ait, *Act.4. Scen.1.* Senectus per ſe ipſa morbus eſt. Multa enim, vti dicit Horat. *de arte Poet.* Senem circumueniunt incommoda: Atq; in hanc rem plura congeſſit Menoch. *de præſumpt. lib.6. præſumpt.46.n.1.& ſeqq.* & Ruland. *d. cap.12. n.10.* Vnde & iura præſumunt ſenes ægrotos, valetudinarios, nec ita robuſtos laborumq; patiẽtes eſſe, vt ſunt iuuenes. velut late tractat Men. *d. præſump.46. & præſumpt.48.* vt non abs re Cicero *1. Offic.* dixiſſe videatur, ſenibus labores corporis eſſe minuẽdos. Tempus autem iuuentutis ſua ſponte infirmum eſt. Cic. *pro M. Cælio.*

Secundò, Aduocatum oportet eſſe ingenioſum & memoria ſingulari præditum. ſed ſenes obliuioſos plærumq; & perturbati animi eſſe, velut econtra iuuenes iudicij needum ſatis confirmati, ex communi & quotidiana experientia diſcimus. Rulan. *d. cap.12.n.14.* Vnde illud: Senes bis pueri. Gail. *lib.2.obſ.110. nu.34.* Dd. *in cap quoniam, vt lit. non conteſtat.* Barb. *in conſ 21. vol.2.* Et Vlpianus de iuuenili ætate verba faciens: Inter omnes, ait, cõſtat, fragile eſſe & infirmum huiuſmodi ætatum conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorum inſidiis expoſitum. *l.1. in prin.*

prin.ff.de minor.25.annor. Sed hæc, quæ hactenus dicta ſunt, de iis ſunt accipienda & intelligenda ſenibus, qui extrema iam & decrepita ſunt ætate; vti & de iuuenibus illis, qui annum ætatis 17. necdum attingunt. Nam alias & ſenex & iuuenis Aduocatus eſſe poteſt. Minorem tamen annis 25 vel 30. haud feliciter id muneris ſubire poſſe exiſtimo: Quandoquidem ea demum ætas perfecta dicitur. *l. ſi maritus. §. lex Iulia ff. de adulter.* quod in homine tunc demum incipit perfectum iudicium. Ruland. *d.c. 12.n.4.* Et ipſa quoque experientia ante iſtam ætatem perquam ſolet eſſe exigua. Venit enim ea ex longo vſu & praxi, quam iuuenes certè ante 25. vel 30. ætatis annum vix ac ne vix quidem ſibi comparare ac habere poſſunt. Ruland *d.loco.n.5.* Vtrumque autem, & iudicium ſcilicet perfectum, & experientiam quoque ſingularem in Aduocato requiri conſtat: velut de iudicio ſuperius dictum eſt; & de experientia inferius in 13. requiſito dicetur latius. Et iiſdem quidem ex rationibus maiorem annis ſexaginta tantum ad officium Aduocati ſubeundum minus quoq; eſſe idoneum ac aptum iudico: cum poſt eam ætatem, quæ ſupra in Aduocato requiſita ſunt, iudicium, memoria, & rerum agendarum vſus & experientia firma deſinere & quaſi mori plærumq; ſoleat, vide Menoch. *d.præſumpt.46.* Verum enimuerò in concurſu iuuenis cum ſene Aduocato pars ſiue litigans ſenem potius (cæteris tamen paribus) quam iuuenem Aduocatum ſibi eliget. ſuo namq; iure & merito ſenex hac in parte iuueni eſt anteferendus. Namq; & ſenes prudentiores iuuenibus, & virtutibus præcellere præſumuntur; quippe qui longo rerum vſu prudentiam veram ſibi comparare potuerunt. And. Tyraq. *de iure primig. in præfat. n. 89. & ſeqq.* Menoch. *de præſum. lib 6. præſump. 27. per tot.* Iacob. Ayer. *in proceſſ. hiſtor. cap. 1. obſeruat. 2.* Et experientia quoque, quam rerum magiſtram dicimus eſſe, *c. quam ſit de elect. in 6.* præ illis valent. Menoch. *d. loco.* Vnde Maſcard. *de probat. vol.*

*3.concluſ.*1295.*n.*3. ſcribit, Eum, qui dixit ſenes non eſſe prudentiores iuuenibus, id per quindecim teſtes probare debere. arg. tex. quam ad hoc dicit eſſe ſingulares, *in l. vnicuiq;. 7. C. de proxim. ſacr. ſcin.* tum etiam quod multa ſuo malo ſenes illi didicerunt, ſie haben viel/wie man ſagt/ mit jhrem ſchaden gelernet vnnd erfahren/daſür ſie andere zuwarnen wiſſen. Nouell. *5. cap. 9. c. vbi periculum. in prin. de elect. in 6. c. ſtatutum. de reſcript.* Vnde & Cicero 1. *Offi.* ait: Eſt adoleſcentis maiores natu vereri, ex quo his deligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio & autoritate nitatur; ineuntis enim ætatis inſcitia ſenum conſtituenda & regenda prudentia eſt. Et Neuizan. de iuuenibus Aduocatis dicit, quod ſint confuſores litiũ, & quod nemo eligat iuuenes duces, quodque antiqui Doctores præſtantiores ſint iuuenibus. *lib. 5. num. 6. Syl. nup.* Sunt tamen hæc omnia cum eo moderamine accipienda, ſi par & æqualis ſiue maior ſit in ſene doctrina & ſapientia, quæ eſt in iuuene. Nam & iuuenes nouimus, qui ſenes prudentia & rerum agendarum promptitudine longo poſt ſe interuallo relinquunt, in quibus certè non tam annorum numerum & piloũ canitiem, quam animi dotes merito inſpicimus, & cum Suprone adoleſcēte apud Liuium exclamamus, indignum eſſe ab egregia indole annorum egreſſum exſpectare. Sed & de hoc Requiſito ſatis.

CAPVT XXVII.

Vndecimum Requiſitum, in quo requiritur vt Aduocatus ſit inſtructus liberal. artib. præſertim Iuris vtriuſque.

VENIO ad vndecimum, in quo requiritur vt Aduocatus artibus & diſciplinis liberalibus inſtructus, gloſſ. & Bartol. *in l. 2. C. de poſtul.* Abb. *in Rubr. Extr. eod. tit.* Dec. *in cap. ſi ſcripturam. nu. 69. de*

69. de fide inſtrument. Magonius *de recta patr. rat. cap. 3. num. 6. part. 1.* doctrina & ſcientia; maximè verò iuris vtriuſque, Magon. *d. c. 3. num. 10.* poſt Iodoc. Damhaud *in prax. ciuil. cap. 124. num 27.* & conſuetudinum locorum cognitione & ſcientia conſpicuus & excellens ſit. Ita namque Cicero *1. de Orator.* Sin autem quæreretur, ait, quiſnam Iureconſultus verè nominaretur, eum dicerem, qui legum & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vterentur, & ad reſpondendum & ad agendum & ad cauendum peritus eſſe. hactenus ille.

Indoctus enim Aduocatus eſſe non poteſt. gloſſ. & Bartol. *in d. l. 2. de poſtuland.* Abbas *in Rubric. Extra eod.* Roland. à Valle *conſi. 36. numero 7 volum. 3.* Lanfran. de Orian. *in pract. iudic. cap. 5. numero 11. verſic. infero.* Nec imperitus ſub nomine Aduocati continetur. Rutger. Ruland. *de commiſſ. part. 1. lib. 1. cap. 13. numero 5.* Eſt enim munus Aduocati arduum, & inter res arduas, difficiles atque periculoſas (quæ in doctis & imperitis non ſunt committendæ, Bald. *in l. final. in decima ſexta quæſtione, C. de hæred. inſtitut.* Felin. *in cap. ſuſcitatus, de reſcript.* Iaſon. *in l. apertiſſimus. C. de iudic.* Ruland. *d. cap. 13. numero 6.*) haud immerito connumeratur. late Andreas Tyraquel. *de retract. lignag. §. 1. gloſſ. 9. numero 267.* poſt Baldum *ibi citatum.* Vt rectè & verè dixerit Matthæus de Afflictis *deciſione 167. numero quinto,* in cauſis arduis Aduocato ſtrenuo opus eſſe. Vnde & notanter & grauiter Iohannes Garſia Hiſpanus *de meliorat. capit. decimoſeptimo, numero decimoſeptimo,* ſic ſcribit: Voco practicum, non circumforaneum Aduocatum, merumque pragmaticum, qui quæſtui deditus, rudis & ignari vulgi imperitiſſimæque plebis auram venatur, qui ſæpe magno pretio emptus, importuna prece ſollicitatus meras nugas reſpondet, veri iuris ignarus, eius duntaxat memor, quod aliquando in forum fortè per errorem irrepſit. Voco autem pragmaticum, qui iuris ſcientiam veri profitetur, qui his iuris

regulis

regulis negotiorum varias circumſtantias, varietates, viceſque cordate expendit, vtrumq; conferendo, veram iuris at fori praxin adeptus eſt, hic certè pragmaticus eſt. Hæc enim illa fori experientia eſt, quæ dicitur rerum magiſtra, quæ ſcilicet Iuriſconſulto res forenſes, earumq; cauſas; hiſq; vera & benè intellecta Iuriſconſultorum reſponſa adaptat, & vtriuſque quandam ſymmetriam & conſonantiam facit, prudens, cautus, perſpicax & in vtraq; re circumſpectus; taleſq; ego ſemper probare pragmaticos ſum ſolitos, hos Aduocatos appello, hos patronorum nomine condignos iudico; alios, qui alteram iuris partem à ſe reiecerunt, exemplaq; rerum ſententijs compoſitorum duntaxat ſecutos, rabulas, nebuloneſq; exiſtimo, &c. hactenus ille. Nec id ſanè iniuria. Turpe eſt namq; viro Aduocato inque foro verſanti ius, quod alijs adminiſtraturum ſe profitetur, ignorare. *l 2. ff. de orig. iur.* Et verò hæc in Aduocato requiſita qualitas adeò quidem eſt neceſſaria, vt non ſufficiat obiter & per tranſennam iura inſpexiſſe, ſed requiritur inſuper quinquennij ſtudiũ, & examinatio approbatioque ſuperiorum iurata. ſic namque Leo Imperator expreſſe reſcripſit: Non aliter vero conſortio Aduocatorum tuæ ſedis aliquis ſocietur, niſi prius in examine viri clariſſimi Rectoris prouinciæ, ex qua oriundus eſt, præſentibus cohortalibus geſta conficiant, quibus apertè pateat, cohortali vitæ ac fortunæ eundem minimè ſubiacere; Iuriſperitos etiam eorum Doctores iubemus iuratos ſub geſtorum teſtificatione deponere, eſſe eum, qui poſthac ſubrogari voluerit, peritia iuris inſtructum. *l. nemini. 11. §. non aliter. 1. C. de aduoc. diuerſ. iudic.* vbi gloſſ. Et Anaſtaſius Aug. Nec, ait, de cætero quemquam, antequam per ſtatuta tempora legum eruditioni noſcatur inhæſiſſe, ſupradicto conſortio ſociari, &c. *l. 5. §* 4. *l. iubemus. 4. C. eo. tit.* Hæc autem ſtatuta tempora, de quibus Imperator hîc loquitur, quinquennij ſpacio incluſa ſunt, Iuſtiniano teſte *in Conſtitut.*

Digitized by Google

ſtitut. ad Anteceſſ. §. 1. & 5. de quo vide eleganter diſſerentem Iac. Cuiac. *lib. 12. obſeru.* 40. Accedit Ordinat. Camer. *part. 1. tit. 3.* §. Deßgleichen ſolten. ibi: zum wenigſten fünff Jahr lang in Rechten ſtudirt. *Et tit. 4.* §. auß denſelben. ibi: oder zum wenigſten. Et de examinatione & approbatione Aduocatorum eſt tex. in Ordinat. *part. 1. tit. 18. in prin.* ibi: Darzu daß dieſelben / ehe vnd zuvor ſie zugelaſſen oder angenommen / durch Cammer Richter vnd Aſſeſſorn / jhrer Lehr / Geſchicklígkeit / vnd ob ſie der Rechten gewürdiget / wol examinirt / vnd derſelben gnugſam erfunden vnd erkandt werden ſollen. In dubio tamen pro Aduocato præſumitur, quod ſciens ſit & doctus. *l. nemini. C. de aduocat. diuerſ. iud.* Ruland. *de commiſſ. part. 1. lib. 1. cap. 17. nu.* 10. vbi dicit: licet illiteratum ſit de his, quæ homini naturaliter inſunt, & ita nemo præſumatur literatus, niſi probetur; hanc tamen præſumptionem tolli; & contrariam probationem eò reddi faciliorem, ſi documento poſſit probari in loco aut iudicio aliquo quem eſſe vel fuiſſe Aduocatū. adde Maſcard. *vol. 1. concluſ. 528. n. 9.* vbi docet: pro Doctore præſumi, quod ſit doctrina præditus. *l. vnic. C. de profeſſor. qui in vrbe Conſtantinop. doc. lib. 12.* Sed de hoc ipſo requiſito infra plura dicentur.

CAPVT XXVIII.

Duodecimum Requiſitum, poſtulat ab Aduocato eloquentiam, linguæ atque calami promptitudinem.

SVCCEDIT duodecimum in Aduocato requiſitum, quod in facundia ſcilicet, eloquentia & linguæ promptitudine conſiſtit. Eſt namq; officium Aduocati læſis ſuccurrere, & languentes dubiasq; ciuium cauſas ſuo patrocinio tueri; laborantiumq; ſpem, vitam & poſteros defendere. *l. noſtra hac.* 14. Quod certe ſine facundia & oratoria arte haud feliciter aſſequi & præſtare

P poteſt.

poteſt. Non minor enim Aduocati virtus eſt in introducendo & proponendo cauſam, quam in actionis genere, & qualitatibus ipſius cauſę inquirendis. Vnde non rarò doctiorem à minus docto ſuperari & vinci videmus, quod alter altero accommodatius & ſcitius res ſuas iudici proponere, & ſuis coloribus aptius & elegantius adornare poſſit. Quod vel vnius Iphicratis teſtimonio & exemplo comprobare poſſum, qui obrutus & ſuperatus in cauſa patroni aduerſarij eloquentia; aduerſariorum, inquit, melior eſt hiſtrio, ſed mea fabula melior. Vt namq; fabula nõnunquam exploditur vitio hiſtrionis, ita ſæpe melior cauſa vincitur à peiore patroni infantia ſtultitiaque. refert Eraſm. *in Apophtheg lib.* 5. cui non abſimile eſt illud Ciceronis Munatio exprobrantis, non bonitate cauſæ, ſed eloquentia ſe ſua viciſſe, de quo idem Eraſm. *in Apophtheg. lib.* 4. Et quod Thucydides, rogatus ab Archidamo Lacedæmoniorum Rege, vter eſſet in Palæſtra ſuperior, ipſe ne an Pericles? reſpõdiſſe fertur; Poſtquam ego hominem pugnando deieci, ille ſe negat cecidiſſe; itaque vincit, & ſpectatores à ſua ſententia deijcit, ſentiens ſe bonis rationibus eſſe ſuperiorem, ſed Periclem eloquentia vincere, & quocunque velit, agere multitudinem. Eraſm. *in Apophtheg. lib.* 6. Eſt enim tanta eloquentiæ vis, vt Pyrrhus magnus ille Epirotarum Rex, multarum vrbium gentiumque victor dicere ſit ſolitus, Cyneam oratorem Theſſalum oratione ſua plures ſubegiſſe vrbes, quam ipſe Rex cœpiſſet armis. Eraſm. *Apophtheg. lib.* 5. Vt ita non minus rectè quam ſcitè dixerit Cicero; Nihil tam eſſe incredibile, quod dicendo non fiat probabile: Nihil tam eſſe horridum, quod non ſplendeſcat oratione: Nihil tam eſſe incultum, quod non excolatur verbis. Cic. *in Paradox.* Atque hoc ipſum quidem eſt, quod Imperatores in Aduocato cumprimis haud obſcure requirunt & exigunt, dum DISERTISSIMOS ADVOCATOS, & ELOQVENTIÆ LVMINA, & FACVN-

FACVNDISSIMOS, & FACVNDIæ STVDIIS ERVDITOS, & FACVNDIA CONSPICVOS ſubinde nominant. *l.13. in princip. l. ſeq. C. de aduocat. diuerſ. iudicior. l.5 & l.6.* Et paſſim ſub illis titulis.

Cùm autem ars Oratoria longe ſit lateque patens, & integrum deſideret hominem, non quidem requirimus in Aduocato noſtro, vt plane perfectus ille & omnibus ſuis partibus abſolutus ſit Orator, Ciceroni aliisq; perfectis Oratoribus quam ſimilimus, ſed acquieſcimus in eloquentia caſta, verecunda, ſobria atque moderata, vt ſcilicet ea, quæ dicenda & proponenda ſunt, APERTE, ſi non ORNATE: DISTINCTE, ſi non COPIOSE: CASTE AC SIMPLICITER, ſi non ELEGANTER, proponat. Ruland. *de commiſſ. part. 1. lib. 1. cap. 15. num. 4.* poſt Lancellot. *in tractat. de aduocat. cap. 11.* Et ita SERMONEM potius, quam ORATIONEM exigimus. Decet namque Aduocatum λακωνικῶς λέγειν, & breuitatis cumprimis eſſe ſtudioſum, velut ſuperius annotatum eſt. Aduocati enim partes in orando ſunt, cauſam proponens, & rei eſſentiam ſpecifice ſolummodo explanare, præmiſſa breui aliqua & vtili præfatione, ne illotis manibus quaſi aduerſam peruenire videatur. Speculat. *de aduocat. §. nunc de exordiis. verſic. deinde.* Quamuis interim non reprobemus eum, qui perfectum & abſolutum ſe profitetur Oratorem, modò diuina illa arte, & qua potiſſimùm homines à beſtiis & feris brutis differimus, non abutatur ad calumnias, & negotium aduerſæ parti improbe faciendum, velut de Pericle Thucydidem, & Iphicratem de ſuo Antagoniſta conqueſtas modò audiuimus. Fucum namq; facere & nebulas offundere iudici partive, verborum atq; orationis elegantia & fœcunditate, ſophiſticum ſapit, & flagitis dignũ eſt, inquit Demoſth. aduerſus Aphobum. Dabit ergo operã Aduocatus noſter, vti *res verbis anteponat, nec his illæ, ſed illis hæc* inſeruiant. Nam ſcite Dem. alibi dicit, oẽm

orationem, ſi res aut facta abſint, vanum quippiam & inane videri. Et alio in loco: Omnis, inquit, oratio vana eſt & infrugifera, quæ actionum expers fuerit. Etenim vt in nummo non ſpectatur elegantia ſcripturę ſed pondus & materia; ita non refert, quam ſit elegans oratio, ſed quam grauis & vtilis. Eraſm. *in Apophteg. lib. 7.* Nuda ſiquidem verborum contexatio, rerum & materiæ expers, mera ac odioſa eſt loquacitas, in omni oratore, maximè verò in Aduocato reprobanda. Vnde TANTA ſit Aduocati ORATIO, QVANTA RES eſt; non prolixior profuſiorque, nec frugalior etiam, quã rei ipſius neceſſitas deſiderat. Etenim ad cauſam non magnam adhibere ſuperuacaneam verborum copiam, luxuriæ genus eſt: Et multiloquium non ſolum moleſtum eſt auditori, verumetiam ad perſuadendum inutile, præſertim apud eos, qui variis negotiis alias ſunt diſtricti. Hinc & in Camera Imperiali Aduocatis per ordinationem imponitur; vt euitent procacitatem verborum, & omnia modeſtè, breuiter & apte proponant. *part. 1. tit. 23. §. 2.* vbi dicitur: Es ſoll auch ein jeder Procurator (eadem eſt ratio in Aduocato) Schimpffwort oder ſonſt vndienſtliche vñ vnnütze Reden im Gericht / vor Cammer-Richter / Præſidenten / den verordneten Aſſeſſorn / der Cantzley vnd Protonotarien vermeyden / vnnd niemands weder Mündlich noch Schrifftlich ſchumpffieren / ſondern ſeine Sachen züchtig / kürtzlich / vnd mit dienſtlichen Worten oder in ſchrifften vortragen. Pet. Denaiſ. *tit. 233. §. 2.* confer Ordin. Cam. *part. 1. d. tit. 23. §.* Vnd dieweil die lange Mündliche Receß vnd Fürträge. & §. Vnd ob ſie etwas. *& part. 1. tit. 46. §.* Vnd damit. Quibus ex locis conſtat, non prolixitatem orationis & loquacitatem in Aduocato, ſed potius contra breuiloquentiam, neceſſaria tamen cauſæ continentem, requiri & laudari. Quibus addi & ea poſſunt, quæ Fab. Quintil. *lib. 12. cap. 8. 9. & 10.* ad hanc rem ſcriptum reliquit. Verum cùm genus orationis abs Rhetoribus triplex conſtituun-

tur

Digitized by Google

tur demonſtratiuum ſcilicet, iudiciale & deliberatiuum; differentia & requiſita vtriúſve ex rhetoricis deſumenda ſunt. nec quæ in iure & agendis cauſis forenſibus neceſſaria in quouis ſunt, & quid vbiuis abs Aduocato obſeruāda inferius dicemus, vbi de officio Aduocati tractabimus. Alia enim ipſi in demonſtratione; alia in iudiciali, atq; tandem in deliberatiuo genere alia obſeruanda ſunt; cum primum orationem reiicit præfatoriam, vt ita dicam, &c. alteram rem ipſam in iudicio ſpectet, tertium verò in dando conſilio conſiſtat, &c. vide Mago: *c. 4. 5. & 6.*

CAPVT XXIX.

Decimumtertium Requiſitum, exigit multarum rerum vſum atque experientiam.

DEcimotertio & vltimò requiritur in Aduocato MVLTARVM RERVM VSVS ET EXPERIENTIA. Scientia namq; ſine experientia vt plurimum fallentia eſt. Quod Cicero innuit, dum ait: Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamuis artis præcepta perceperunt, quicquam magna laude dignum ſine VSV & EXERCITATIONE conſequi poſſunt. *1. de Orator.* & Boetius *de diſcipl. ſchol.* dicit; ſcientiam ſine vſu parum prodeſſe. Vnde neminē cum fide loqui de re, quam nullo modo ſit expertus, ex Eudamonida refert Eraſm. *Apophtheg. lib. 1.* Hæc ſiquidem magiſtra & mater omnium rerum efficaciſſima dicitur. *c. quam ſit. de elect in 6. l. legatis. ff. de legat. 3. l. 2. ff. vt in poſſeſſ. legator.* Bart. *in l. 1. ff. de leg.* Ruland. *de commiſſ part. 1. lib. 1. cap. 27. n. 1.* poſt plures allegat. Et vſus artem artificemq; facit, iuxta illud vulgare:

Solus & artifices qui facit vſus erit.

Meritò igitur Doctores noſtri in Aduocato non ſolùm ſcien-

tiam requirunt, ſed etiam experientiam. Et hæc quidem duo coniunctim adeſſe volunt, vt ſcilicet & ſcientia & ſimul experientia præditus Aduocatus ſit. argum. §. *quorum. in proœm. Inſtit. l. nemini.* vbi Doct. *C. de aduocat. diuerſ. iudic.* Petr. Rebuff. *ad conſtit. Reg. tit. de mater. poſſeſſ. artic.* 13 gloſſ. vnic. *num.* 12. vbi dicit: Quod licet Aduocati antiqui ſint quandoque minoris ſcientiæ, quam iuniores: ex longa tamen practica eſſe vtiliores. per doctr. Alberic. *in l. prouidendum. in prin. C. de poſtuland.* ſcitus & elegans eſt locus A. Gellij *lib.* 13. *Noct. Attic. cap.* 8. dicentis: Maximè hoc atque veriſſimè Afranius Poëta de gignenda comparandaq; ſapientia opinatus eſt, quod eam filiam eſſe vſus & memoriæ dixerit. Eo namque argumento demonſtrat, qui ſapiens eſſe rerum humanarum velit, non libris ſolis neq; diſciplinis Rhetoricis Dialecticisq; opus eſſe, ſed oportere eum verſari quoq; exercerique in rebus cominus noſcendis periclitandisque, eaq; omnia acta & euenta firmiter meminiſſe, & prouidè ſapere & conſulere ex ijs, quæ pericula ipſa rerum docuerunt, non quæ libri tantum aut magiſtri per quaſdam inanitates verborum & imaginum, tanquam mimo aut inſomnio delectauerunt. hactenus Gell. Quemadmodum autem ſine experientia ſcientia in Aduocato plærumq; nihil laude dignum ſtatuit: ita econtra quoq; experientia ſine ſcientia vt plurimum inutilis eſt. Quod pluribus demonſtrat & euincit Anton. Maſſa *lib.* 1. *de exercitat.* Iuriſperitos. *n.* 8. *& mult ſeqq.* vbi inter cætera ait: Si qui ſola experientia ſine ratione & ſine arte putent ſe, quæ attinent ad Iuriſperitum, exercere poſſe, non ſolum ipſi falſi ſunt, ſed maius detrimentum, quam emolumentum, plærunque afferunt iis, qui eis fidem habent Et elegantiſſimè Quintilian. *lib.* 12. *cap.* 6. *in fin.* ſic ſcribit: Tum dignum operæpretiũ venit, cum inter ſe cõgruunt PRÆCEPTA & EXPERIENTIA. Quamuis, vt idem eodem & libro & capite dicit, Plus, ſi ſepares, vſus ſine doctrina, quã citra vſum

doctrina

doctrina valeat. hæc ille. Et verò exercitationem & vſum in Aduocato requiri, in terminis docuerunt Iohan. Neuizan. *in ſylu. lib. 3. num 7.* Emeric. à Roſbach. *in proceſſ. iudic. tit. de aduocato num. 1. & 9.* Iohan. Garſia. *d. cap. 17. num. 17.* & alij complures abs his citati. Quomodo autem Aduocatus ſe cum fructu & vtilitate exercere, vſumque & praxin, priuſquam in forum prodeat, & ad agendas cauſas accedat (nec enim in foro demum diſcere, quod plærique cum damno & iactura partium ſuorum faciunt, ſed docti & exercitati in forum venire debemus, Cicerone admonitore) ſibi debeat & poſſit comparare, id prolixè & eleganter docet Anton. Maſſa in peculiari & integro tractatu, quem de exercitatione Iuriſperitorum inſcripſit, ad quem lectorem remiſſum volo. Et hucuſque quidem de requiſitis ſeu qualitatibus Aduocati dictum ſit.

CAPVT XXX.

De ipſo Aduocati officio, quod abſoluitur tribus partibus.

CONSEQVENS nunc eſt, vt de ipſo officio eius videamus. Id verò tribus hiſce Capitibus abſoluitur. I. Vt deliberet ſecum Aduocatus ante omnia, SITNE SVSCIPIENDA CAVSA, AN NON SIT? II. Vt SVSCEPTAM CAVSAM BENE DISCAT? III. Vt AD AGENDVM accedat? Ant. Maſſ. *de exercitat. Iuriſperit.*

Circa ſuſcipiendas aut reijciendas cauſas cauſidico ſiue Aduocato *Deliberatio* eſt ante omnia habenda accurata & diligens, ne omnes indiſtinctè bonas atque malas cauſas ſuſcipiat defendendas, nullo prorſus reſpectu habito, & vt Plautinis verbis vtar, ne clientes ſibi velit eſſe multos; boni ne an mali ſint, id haud quæritans, rem quærens magis, quam clientum fidem, quoiuſmodi cluat.

Quamuis

Quamuis enim Cauſidicus ſiue Aduocatus liberum habeat arbitrium, quaſcumque velit, recipiendi cauſas; attamen ab eo, qui non ſolùm pecunias, ſed gratiam quoque & laudem ab hominibus, & *à* Deo æternæ vitæ præmium deſiderat, habendus eſt cauſarum ſuſcipiendarum accuratus delectus; ne ſi fortè in cauſa ſuccumbat, & hominibus ſeſe exponat ludibrio, & partem ſuam ſiue clientem in damnum inducat. Eſt enim litis euentus dubius. *l. quod debetur*, 51. vbi Bartol. *ff. de pecul. ſurd. deciſ. Mantua. 22. nu. 10. lib.* 1. etiam in optima cauſa. *Iudic. 20.* vt ita nemo facilis ac promptus ad litigandum eſſe debeat. Specul. *tit. de præparat. iudic. part. 2. Rubr. 1.* Vnde ſuſcipiendæ non ſunt cauſæ, niſi quæ vel ſunt, vel videntur ſaltem eſſe iuſtæ & æquæ; ita vt non obſtet pudor, quo minus ſuſceptam cauſam, cum melior videatur, cognita inter diſcendum iniquitate, dimittat. Quintil. *lib. 12.* Verum cum difficillimum ac penè impoſſibile ſit Aduocato, ſtatim à principio de cauſæ ipſius iuſtitia vel iniuſtitia iudicium ſumere, & parti ſuę certum quid, in hoc incerto & dubio, promittere vel ſaltem perſuadere; ideo religio non ſit ei, quamlibet oblatam cauſam ſuſcipere defendẽdam, modò non ſit notoriè iniuſta & iniqua, ſecumq́;, quod dicitur, ſententiam integro ferat, hoc eſt, quæ in mero iure eiuſque deciſione conſiſtat, deque qua Aduocatus ſtatim primo intuitu certus eſſe poteſt. Nam de huiuſmodi cauſis notoriè iniuſtis rectè Aduocatos monet Ouidius, ne ſuſcipiant defendendas, cum ait:

Cauſa patrocinio non bona maior erit.

Quaſi dicat, Mala cauſa, licet vndique conquiſitis & congeſtis rationibus atque argumentis ad tempus ſuſpendatur & protrahatur, coloribusq; quibuſuis adornetur, ſemper tamen & permanet mala, nec melior, ſed etiam peior fit, cum damno & iactura ipſius clientis. Nec verò pudor eſt vel ſcelus interdum in cauſa ſuccumbere. Nam velut

Non

Non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger.

Sic

Non eſt Cauſidici ſemper releuetur vt actor.

Hinc & ipſe Paulus Iuriſconſultus longè celeberrimus de ſemetipſo non erubuit in publicum profiteri, quod in quadam cauſa, in qua poſtulauit, non obtinuerit, quod erat petitum; velut ſuperius eſt allegatum, ſuo hoc exemplo & caſu omnes Aduocatos quaſi monens, ne moleſtè ferant, ſi fortè cauſa cadant. Vt autem eò minus peccet hac in parte Aduocatus noſter, ad alterum membrum ſedulò perſpicere, & in PERDISCENDA CAVSA vel iam ſuſcepta vel ſuſcipienda omnes neruos omneſque ſenſus intendere debet. Nam hoc ſi fecerit, non certè tuebitur cauſas, niſi bonæ quæ ſunt atque iuſtæ. In hac autem conſideratione ad ſequentia diligenter aduertat neceſſum neceſſario eſt;

Vt de facto propoſito benè, rectè, verè & ſufficienter ſit edoctus:

Vt circumſtantias cauſæ ſiue facti omnes & ſingulas, etiam minimas præcognitas ritè habeat.

Vt de probationibus ſibi plenè conſtet;

& tandem vt his didicitis:

De ambigendi decidendiq; ratione ſecum deliberet, & ita ſtatum cauſæ ſiue controuerſiæ ipſius verum ac genuinum inquirat.

Et verò ad factum ipſum eiusque circumſtantias quod attinet, id omne ex parte ſua ſiue cliente addiſcet Aduocatus, quem ante omnia ad dicendam veritatem admonebit ſedulò, ne illo colorante forte & in ſuum commodum atq; fauorem referente &

Digitized by Google

explicantem factum, Aduocatus malè informatus fallatur & fallat. Sic namque in more plærumq; omnes habent poſitum, vt quæ ſibi cauſæque ſuæ fortè videntur eſſe adminiculatura, ea, licet falſa, Aduocatis pro veris referant, non reſpicientes ad finem ſiue exitum cauſæ. Vnde huc non male quadrat illud: in cauſis agendis patronum & Aduocatum optimum eum eſſe, QVI SIT INCREDVLVS. Nec enim ſemel audiuiſſe ſat eſt. Cogendus cliens EADEM ſæpius ſæpiuſque dicere, vt apparere poſſit, an EADEM dicat. Plurimi namq; mentiuntur, & tanquam non doceant cauſam, ſed agant, non velut cum patrono, ſed quaſi cum iudice loquuntur. Nec porrò in his acquieſcat Aduocatus, ſed ſe quaſi aduerſarium clienti ſiſtat, & quæ poteſt, in contrarium afferat, de circumſtantiis maximè, quas non ita potuiſſe euenire dicat; & ſi quæ id genus alia excogitare poteſt, quo ſcilicet de Facto plene & vere ſibi poſſit conſtare. vbi de facto VERE conſtiterit, ad PROBATIONES deueniendum eſt, & videndum, qua ratione id iudici veriſimile probatúmve reddere poſſit. Nec enim differẽdum hoc in punctum ſiue terminum probationis, (velut Practici loquuntur) quod non rarò cũ maxima ipſius Aduocati difficultate ſummoque labore, & ſumptibus partiũ hodie videmus fieri, ſed vel inprimis de eo cogitandum eſt. Sunt autem duo probationum modi à noſtris proditi, alter quidem artificialis & intrinſecus, per quem videlicet probationes ex ipſa cauſa depromi ſolẽt, & qui in ſolertia, induſtria atq; prudentia ipſius Aduocati conſiſtit; alter verò extrinſecus ac inartificialis, per quẽ probationes ab extra ad fidem faciendam aſſumuntur. Roſb. *tit.53.n.3.* De vtroq; ſollicitus eſſe Aduocatus debet, maximè verò de poſteriori ſiue extrinſeco. Conſiſtit autem probationis huius modus vel in inſtrumentis, tabulis, atq; ſcripturis: vel in teſtibus: vel in iuramẽto. Et quidem ad TESTES quod attinet, (de iuramẽto poſt dicetur) eos annotare

Digitized by Google

ſaltem initio debet, & inquirere, cuius ſint ætatis, valetudinis, conditionis ſiue ſtatus, vt ſi forte decrepitos ſenes, aut aduerſa valetudine detentos, aut peregre & longinque abituros eos vel omnes vel aliquos depræhẽdat, eos tum ſtatim vel ante vel poſt litem conteſtatam iudici nominet & exhibeat, adq; perpetuam rei memoriam, iuxta *c. quoniam frequenter, Extr. vt lite non conteſt. &c.* examinari petat. Nam hoc niſi fecerit, & teſtes annotati vel moriantur interim, dum ad probationis terminum deuentum fuerit, vel ſint abſentes, certe & probatio ipſius deficiet, in qua totius negotij ſeu cauſæ cardo & victoria veſtitur. Quod ipſum & tum facere debet, quando ob graſſantem peſtem, vel alium morbum contagioſum atq; exitialem, aut propter bellum imminens de vita teſtium periculum fuerit, gloſſ. & Doct. *in d. cap. quoniam frequenter*, vbi ſedis huius materiæ ordinaria. De iuramento autem, vt & inſtrumentis ſiue ſcripturis tantum periculum non eſt, niſi antiquiſſimæ illæ fuerint, & forte roſæ à tineis muribúsve, vel laceratæ, aut al*iàs* illegibiliæ propter antiquitatem, vel forte alicunde de iis periculum metuendum. Quibus in caſibus vel deponendæ penes iudicem, vel de tranſſumptione cogitandum Aduocato, quam vulgò VIDIMVS vocari conſuetum eſt. Paris de Puteo, *tract. de reaſſumptione inſtrumentor.*

Interim autem omne litis inſtrumentum vt legat Aduocatus opus eſt; nec enim ſatis eſt vidiſſe, cum inſtrumenta plærumq; fallacia ſint, velut ſi obſcura, ſi dubia, ſi alienum forte quid immixtum habeant, ſi clauſulas minus vtiles contineant. De quibus omnibus, vt & aliis id genus, quæ diſcretioni & legalitati Aduocati relinquuntur, ante omnia cogitandum eſt. Et verò tam eſt neceſſaria hæc in probationes inquiſitio, vt in ea totum negotium conſiſtere non abſurde dicatur. Eſt namq; probatio ipſa veritas. Etenim omnes teſtium, inſtrumentorum, vt etiam ipſius iuramenti probationes ad aliud non tendunt,

niſi ori veritas in apertum referatur, & iudici nota fiat. Hinc Maſcardus *de probationib. vol. 1. quæſt. 1. nu. 10.* dicit, in probatione totam conſiſtere iudicij vim atq; ἰσίαν. Is enim, qui nihil probat, nihil habet vel conſequitur: & vbi probatio deficit, perinde eſt, ac ſi illud, quod non probatur, non eſſet. *c. ſolenniter. de conſecrat. diſtinct. 1. l. duo. ff. de teſtam. tut.* Et probari non poſſe, vel non eſſe, paria ſunt; & qui nō probat, dicitur iure carere, velut poſt Corn. *conſ. 126. n. 1. lib. 1.* Maſcard. *d. quæſt. 1. nu. 12.* docet. Et Damhaud. *in praxi ciuili cap. 156. n. 1.* probationem vocat animam proceſſus. Vnde trita illa & in vulgus nota iuris regula; ACTORE NON PROBANTE, REVM ABSOLVENDVM. *l. 2. vbi Doct. ff. de probation. l. qui accuſare. C. de edend.* Speculat. *tit. de action. & petit. §. in anteriorib. verſi ſi verò.* Herm. Vult. *conſil. Marpurg 30. nu. 27. vol. 1. & conſ. 21. nu. 15. volum. 3.* quod communiter Doctores tenere ait Villalob. *in commu. opin. lit. A. n. 47.* Et pro regula ponit Duennas *reg. 22.* à qua neminem diſſentire ſcribit Maſcard. *de probat. vol. 1. concl. 36. n. 22.* Schurff. *cent. 1. conſ. 81. n. 1. & cent. 2. conſ. 68. n. 7.* Iacob. Menoch. *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 87. n. 4.* poſt gloſſ. *in c. 1. §. ſi duo. de pace tenend.* vbi limitat in caſu, quo præſumptio ſtat pro actore. Fichard. *conſ 150. n. 1. vol 2.* Adeò quidem vt ſi probato facto actor deficiat in probandis eius qualitatibus, adhuc reus veniat abſoluendus, Bartol. *in l. diuus. ff. de re iudic.* Caſtrenſ. *in l. pen. § docere. ff. ne quis eum, qui in ius voc.* Ioan. And. *in c. 1. de homicid. in 6.* Felin. *in c. auditis. de præſcript.* dn. Vult. *d. n. 27.* Schurff. *d. conſ 81. n. 6.* Etiamſi ipſe reus nihil præſtiterit. Iohan. Gœddæus *conſil. Marpurg. 24. n. 83. volum. 1. & conſ. 26. n. 41. volum. 3.* Schurff. *d. conſil. 81. nu. 1. & d. conſ. 68. n. 7.* Fichard. *d. conſ. 150. n. 1.* Quod & eo in caſu verum eſt, quando actor intentionem ſuam probat quidem, ſed obſcure, ita vt poſſit ſe habere ad abſolutionem & condemnationem. Nam & tum reus abſoluitur, & ſententia in mitiorem partem inclinat. Surdus *deciſ. Mantua. 75. nu. 18. lib. 1.* Et hæc quidem ad ipſum

Digitized by Google

pſum reum quoque, exceptiones ſuas vel plane non, vel obſcure probantem, extendenda ſunt. Surd. & alij locis relatis. Cuius quidem hæc datur ratio, quod probatio nulla, dubia, vel incerta atq; obſcura probantem non releuat. *c. in præſentia. de probatio. l. non hoc. C. unde legit.* vbi Iaſ. *n. 4. & 6.* Marſil. *in Rubric. C. de probat. nu. 350.* Et interpretatur contra ipſum probantem. Surd. *d. deciſ. 75. n. 17.* poſt gloſſ. & alios citatos. Vt ita non abs re cauſarum patroni ſiue Aduocati primò omnium *à* clientibus ſuis ſuſcitari debeant, quo pacto quóve modo ſint id probaturi, quod in iudicium deductum volunt. Hinc recte Papa *in c. plærumq;. cauſ. 2. quæſt. 7.* ait: plærumq; boni viri propterea ſufferunt aliorum peccata, & tacent, quia ſæpe deſeruntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipſi ſciunt, iudicibus probare non poſſunt. hæc ille. Ex quo loco Aduocatus hoc diſcere & obſeruare debet,

Non eſſe articulanda vel in iudicium deducenda ea, quæ probari non poſſunt;

ne ſcilicet & labor in caſum, & ſumptus inutiles fiant. Maſcard. *d. quæſt. 1. n. 9.*

Quibus omnibus ita ſecundo loco peractis, Aduocatus vltra progrediatur, & ſecum iam cogitet & deliberet, ad quam actionis claſſem cauſa ſibi propoſita & concredita ſit referenda; quis verus ſit atq; genuinus eius STATVS; quæq; poſſint vel prodeſſe vel nocere parti ſuæ. Quod quidem omne ex iure hauſerit, vſu & exercitatione interuenientibus, modo iuris ſit, vti decet, peritus non ignarus. Et hæc quidem omnia cum aſſecutus eſt, ad AGENDVM tandem ſe accingat iudicemque adeat, vbi hoc cumprimis nötãdum eſt, vt ſi fuerit actoris patronus, actionem ſiue intentionem ſuam formaliter, riteq; proponat; qua in parte libelli conceptio & formatio merito primas obtinet, de qua præter alios videndi Iohan. Oldendorp. *in claſſib. ſuis.* Et Georg.

Obrecht *in tract. peculiari de concipiendis & formandis libellis.* Si verò ſit Aduocatus rei, videndum eſt, quibus ille poſſit exceptionibus actionem inſtitutam excludere atq; refutare, quod ex iis addiſcet, qui de exceptionibus ſua nobis reliquerunt monumenta, inter quos Car. de Graſſis, Ioh. Zang. & alij complures, ad quos lectorem remiſſum volo. Et verò de cautelis Aduocatorum, quibus tum vtriuſque partis communiter, tum alterius ſeparatim Aduocati vti poſſint & debeant, tractat late And. Alciat. *in ſua praxi*, qui videri poteſt.

Et hucuſque quidem de Qualitatibus & officio boni Aduocati dictum eſt. Nunc porrò de præmiis, honoribus atque priuilegiis Aduocatorum cum videremus non extra Rhombum eſſet; ſed quoniam id non eſt nobis propoſitum, per iudicem ſaltem annotabimus & lectorem ad fontem remittimus. Aduocationis ergo munus & officium cum vtiliſſimum & maxime neceſſarium in vita humana ſit, veluti ſuperius late oſtenſum eſt, factum inde legimus, vt eo fungentes multis varijsque priuilegijs, honoribus atque præeminentiis ſint cohoneſtati atq; donati, de quibus Doctores ordinarie poſt gloſſ. *in tit. C. de aduocat. diuerſ. iudic.* tractant. Iacob. Menoch. *de arbitr. iudic. quæſt. caſ. 513.* velut quod non tenentur ſubire onera. Guid. Papæ *deciſ. 88. & deciſ. 388.* Immunes ſunt *à* muneribus perſonalibus. Franciſc. Marc. *deciſ. 638. part. 1.* Dicuntur militare. *l. 14. C. de aduocat. diuerſ. iudic.* & inde vtuntur priuilegiis militum. Franciſc. Marc. *deciſ. 601.* Weſemb. *in Inſtit. de teſtam. milit.* Non coguntur ire per prouincias. Azo in Brocard. Non debent exercere officium tabellionatus, quia vile eſt. Paris de Puteo *in tract. de reaſſumpt. inſtrument. Rubric. 22. num. 6.* Merentur gloriam. Marq. Freher. *de exiſtimat. lib. 1 cap. 5. num. 6.* Priuilegium habeat de non torquendo, capiendo vel incarcerando, de quo vide late apud Franciſcum Marc. *deciſ. 185.* Debetur iis ſalarium, quod honorarium vocatur.

tur. *l. ſancimus. C. de iudic.* Rebuff. *ad conſtit. reg. tit. de expenſ. dam. & intereſſ. artic. 5. gloſſ.* 1. *num. 19.* de quo vide Gail. *lib. 1. obſeruat. 42. & 44.* Mynſing. *cent 3 obſeruat 7. & 8.* Sichard. *in l. vnica. C. de ſuffrag.* Donel. *in l. 1. C. mandat.* Menoch. *de arbitr. iud. quæſt. d. conſ. 513.* Tyraquel. *de retract. lignag. §. 1. gloſſ. 18. num.* 11. Franciſc. Marcus *deciſ. 1041. & 1042. part. 1.* Matth. Coler. *in deciſ. Germaniæ, deciſ. 201.* Matthæus de Afflict. *deciſ. 70.* Et ſummatim de varijs Aduocatorum priuilegiis vide Franciſ. Marc. *deciſ. 652. parte* 1. quæ omnia & ſingula Doctores ſupra relati ex profeſſo tractant, qui ſunt videndi.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google